



De corruptis moribus vtriusque partis, Pontificiorum videlicet, & Evangelicorum, : dialogus lectu iucundus et ualde utilis,

<https://hdl.handle.net/1874/427943>

fee 4
DE CORRVPTIS
MORIBVS VTRIVSQUE
partis, Pontificiorum uidelicet,
& Euangelicorum,

DIALOGVS LECTV IVCVN-
dus & ualde utilis,

Authore Syluestro Czechanouio. 1562

2. Timoth. 4.

*Insta oportune, importune, argue, obsecra, increpa, in
omni patientia & doctrina. Erit enim tempus,
cum sanam doctrinam non sustinebunt.*

Proverb. 26.

*Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne
sibi sapiens esse uideatur. 1562*

BLIND-FADE TECHNIQUE

Appellations

DE CORRUPTIS MORIBVS VTRIVSQUE partis, Catholicorum uidelicet & Protestantium.

DIALOGVS.

*Felix Parochus Polonus, & Syluester Mar-
chita Concionator Lutheranus.*



Y L V E S T E R.
Salve Felix. FELIX.
Saluus sis tu quoq;. SY.
Videris tu me no agno-
scere amplius. FEL. Ità
planè est, non sanè te a-
gnosco. SYL. Sodalishè tu ita es oblitus
tui, & quondam in communibus literarum
studijs Cracoviæ condiscipuli? FEL. Re-
ducis tu uerò in memoriam mihi, non so-
lum amicitiæ nostræ & consuetudinis, sed
A ij etiam

etiam apostasiæ tuæ. Sed hoc omitto. Vnde
tu nobis hac in Villa ades? SYL. E Pin-
czouia hoc iter habeo. Verum hodiè ali-
quantò tardius ex hospitio egressus sum.
Cum igitur me proficisci tem nox hic op-
pressisset, ad te diuerti placuit: nam fretus
lege ueteris amicitiæ nostræ, credidi id tibi
fore non ingratum. FEL. Non ingratum
quidem sanè, quod ad me attinet, sed non ual-
de gratum tamè, si officium spectes meum:
Catholicus enim sum, tu Lutheranus, imò
ut proprius accedam ad rem, ego pastor ou-
rum, tu lupus gregis mei: à fide enim tu no-
strà maiorumq; nostrorum defecisti. SYL.
Importunè ista nunc abs te in hospitem dici
uidentur: uenter enim, præsertim iejunus,
aures non habet. Nec iam nunc opus est tam
obiurgantis poena, q; cæna esurientis. FEL.
Rectè sanè admones. Iam famulis manda-
tum est, ne quid desit iuri hospitalitatis. In-
tereà si libet in hoc musæo meo confidea-
mus

mus tantisper, donec cæna paretur? SYL.
Placet. FEL. Tibi autem homini Marchi-
tæ & Germano quid erat negotij Pinczo-
uiæ? SYL. Longa series negotij, si inte-
grè narrandum esset, tibiq; sic audire, ut mi-
hi silere, expediret, nō te quidem celarem.
FEL. Non est, quod celes me, scilicet ho-
minem minimè curiosum. SYL. Hauddu-
biè audisti, Felix, q̄ sordum certamen atq;
horribilè superioribus annis Francofordiæ
inter And. Musculum, & Fran. Stancarum
fuerit exortū de iustificatore Christo, cum
hic solam Christi humanam naturam iusti-
ficatricem assereret, exclusa diuina, ille con-
trà adeò Christum iuxta utramq; naturam,
statueret iustificatorem, ut non ueritus fue-
rit palam docere, diuinam Christi naturam,
quæ DEV S est, unâ cum humana mortu-
am fuisse in cruce. Stancarus quidem expul-
sus est ex Marchia, remansit Musculus, nec
destituit hic, illo exterminato, id dogma de

A iiij mortua

morta diuinitate publicè profiteri, ac spar-
gere, adiutore Ioanne Islebio. Fuit hæc cau-
sa ad Lausanenses Theologos Zuinglia-
nos deuoluta, & hinc mox ad Pinczouienes
Doctores Lismaninum, Statoriū, Branda-
tam. Tametsi uerò hi Theologi Stancarum
damnarint omnino: tamen nec Musculi do-
gma secus, q̄ hæreticum iudicauerunt, licet
initio aliquantò obscurius, poste à certè ma-
nifesto satis: quemadmodum iam comperi
Pinczouiæ. Eò namq; missus fui à senatu
meo, siquidem eadem contentiones apud
nos increbescunt, ut, cū Pinczouiæ aliquot
insignes Theologos conuenisse audissimus,
ab illis certum aliquod de Musculi Stanca-
riq; disceptationibus iudicium requirerem.
Veni Pinczouiam, nobiles q̄ plurimos ibi,
& Theologos reperiebam: sed tanta inter
se animorum dissensione distractos, ut fuerit
uisu horrendum, & dictu turpisimum.
FEL. Euangelicinè erant isti? SYL. Euan-
gelici

gelici omnes. FEL. Itanè seditiosum est
recens istud uestrum Euangelium? Sed quæ
fuit causa tantæ litis? SYL. Poloniæ nobi-
les pleriq; qui excusso iugo Papæ id nunc
unicè dant operam, ut, Ecclesiasticis bonis
in meliorem usum conuersis, Ecclesiæ pas-
sim ad rectam normam expressi diuini uer-
bi reformatur. Nobiles igitur hoc negoci-
um cum urgerent, conuentus Pinczouiæ
indictus est. Ibi quoniam Theologi interro-
gati, quomodo arbitrentur purum DEI
Verbum in Polonia instaurari posse, ne ullæ
admisceantur traditiones humanæ, quæ non
in sacris literis euidenter expressæ sint. The-
ologi responderant, iam talem in Polonicis
Ecclesijs reformationem nullo modo posse
fieri, nisi ad nudum scripturæ S. textum om-
nis Ecclesiarum administratio accommo-
detur. Placuit hæc sententia uniuersis: Bi-
bliaq; sacra in medio posita sunt: iussiq; ex
his Theologi auspicari negocium. O DE-

VM

VM immortalem, mi Felix, quanta con-
festim inter Theologos dissensio suborta
est. Alij enim ad normam ueteris Testa-
menti, alij ad ordinem Noui, Ecclesias re-
formandas esse censuerunt: alij ad consuetu-
dinem primæuæ Ecclesiæ. Omnisq; difficul-
tas in eo uersabatur, quod, cum nobiles, ni-
hil uellent in reformandis Ecclesijs admit-
tere, quod non in sacris scripturis expre-
sum DEI Verbū haberet, protulerat Stan-
carus aliquot ab se conscriptos reformandæ
Ecclesiæ Canones, qui in scripturis sacris sic
expresi, uti ^{10 ſuſtop} postulat, non inuenieban-
tur: quam ob causam etiā repudiati sunt à
cæteris, præsertim à Lasconitis. Hinc dissen-
tionis exordium extitit, hinc iurgia &
maledicta secuta sunt, hinc uariæ incensæ discor-
diarum maximarum faces. FEL. Quid tu
interea, Syluester, faciebas? SYL. Tacitus
spectabam & mirabar, quò res illa effet euau-
sura. FELIX. Conuenerunt netandem?
SYL.

S Y L. Quid conuenirent homines omnium discordissimi? Etenim non de reformatione tantum dissentiebant, verum etiam de summis Christianæ fidei articulis digladiabantur. Stancariani enim Caluinianos accusabant, quod publicè docerent, nō unum esse DEVM, sed tres DEOS, & quòd Christum uellent minorem esse patre, & iuxta utramq; naturam, mediatorem. Calviniani uicissim Stancarianos infectabantur propter renouatā Nestorij hæresin. Erant alij quoq; utrisq; non minus, q; ipsis sibi inter se mutuo aduersi: qui, cum Calviniani unum DEVM esse negassent & asseruissent tres, tum illi cōtrà, unum DEVM affirmantes, tres personas esse inficiabantur. Quin non modo de his, quos iam dixi, articulis, sed de præcipuis totius Christianæ fidei fundamentis hostiliter altercabantur, ut de iustificatione, de libero arbitrio, de peccato, de iustitia, de fide & operibus, itemq; de Ecclesia, de

B numero

numero Sacramentorum, alijſq; generis eius-
dem q̄ plurimis. Et ut breuiter dicam, spiri-
tum discordiae præsentem uidi, concordiae
authorem ualde desiderabam. FEL. Num
Spiritus concordiae aliquid ad euidentiam
ueritatis? SYL. Num dubium id est? FEL.
Si hoc ita, ut dicas, sentis ex animo, cur Ca-
tholicam Ecclesiam deseruisti, in qua sem-
per est concordia, & contulisti te ad hæreses,
in quibus perpetuæ sunt dissensiones: uel cur
potius ad concordiam non redis, relictadi-
scordia? SYL. Quos deferam, video: quos
sequar, non reperio: uereor enim ne ex fu-
mo in ignem. FEL. Quomodo: istud velim
ut nobis explices. SYL. Si uerum est, quod
iubet Christus, ex fructibus debere arbo-
rem cognosci, q̄ autem infructuosa isthaec
uestra concordia sit, mores cleri uestri non
obscure loquuntur. FEL. Minime quidem
fallax regula est, quam tradidit Christus de
fructu & arbore: hæc enim naturæ lex est, si

Aristoteli

Aristoteli credimus, ab unaquaq; re, simili-
lem sui foetum edi. Sed haec regulatamendi-
sciplinam requirit non solum ^{τὸν ὑστέρων} sed ^{τὸν}
^{προτέρων} quoq;, quippe ut & arbor fructui re-
pondeat, & fructus uicissim arborei. Eamq;
ob causam non nudè dixit Christus & sim-
pliciter, sed copulatè, adijciens hanc ^{ἐπινόμησος}:
ut aut arborem facias bonam, & fructum
bonum, aut fructum malum, & arborem
malam: ne, cum alteruter alterius connexu-
carere non possit, separatim alter absq; alte-
ra rectè intelligi posse existimaretur. SYL.
Antiqua tu mihi Felix, & absleta illa Cra-
couiensis scholæ ænigmata recenses. Clarius
ista tu quidem, si uoles me, quoddicis, perci-
pere. FEL. Non herculè absleta haec sunt,
sed adhuc usu hominū uigent, nec tibi, cum
eadem antea mecum didiceris Cracouiæ,
ignota. Verum, ut morem tibi geram, quid
clarius dici potuit, q; cuim ait Christus, aut
facite arborem bonam, & fructum eius bo-

B ij num:

num: aut facite arborem malam & fructum eius malum: siquidē ex fructu arbor agnoscitur? Hæc duo extrema idcirco tām arcte constrinxit Christus, ne, si aliquando fructus bonus appareat, mox arborem bonam iudices: uicissimq;, si arbor pulchra uideatur, mox statuas fructum eius nobilem esse, & bonum oportere. Nam fieri aliquando uidemus solere, ut uita Philosophorum pugnet cum oratione, contraq; oratio cum uita: sic etiam reperias Ecclesiasticos pastores, quorum uita impura sit, doctrina pura: ac, uersa uice, quorum uita inculpata, doctrina hæretica. Eam ob causam necesse est, tum arborem bonam esse statui, cum fructus fuerit bonus, uicissimq; fructum bonum esse, cum arbor bona fuerit. Quapropter si Doctores ea docent, quæ faciunt, et quæ faciunt, docent, certum est doctrinam factis & facta doctrinæ respondere. Cepit Christus docere & facere, & inquit: &, Si mihi credere non uultis,

vultis, credite operibus meis, quæ facio. Cur autem? Quia cum rufus populus ob ingenij stuporem ueritati doctrinæ tam facile fidem haberet nō posset, ut mirandis illis, quæ Christus faciebat, operibus crederet, ab euentu ad causam ducebatur. Secus est in ijs, quæ falsa docent, & bona operantur, quemadmodum de Donatistis apud D. August. legitur, & nunc in Anabaptistis uidemus. Quorum simplicitatem, innocentiam, fidelesq; labores laudamus, doctrinam uero iure damnamus. Hic enim non simpliciter ex fructu arbor, sed etiam ex arbore fructus cognosci debet. Est item secus in his, qui uera docent, & operantur mala. Nonnulli nostrorum sacerdotum rectè profitentur Catholicæ doctrinæ fidem, prava operantur intereà. Nec hic regula habet locum, ut ex fructu iudicetur arbor: cum ea opera, personarum uitia sint, non doctrinæ. Hæc cum ita sint Sylvestri, non te decet ob prauos mores cleri, ab-

B iii horrere

horrere à ueritate concordis doctrinæ Catholice: quandoquidem tibi mandet non humana uox, sed authoritas diuina, In Cathedra Mosis sedent, et omnia quæ dixerint uobis seruate, & facite: secundum uero opera eorum nolite facere. Expressum soletis & clarum diuini uerbi textum exigere: quid potuit enunciari expressius? Duo cernis ponit, cathedram Mosis, & non facere secundum mala opera Doctorum: quorum alterum tui muneric est, ut certò scias, quæ nam cathedra Mosis sit: alterum uero nihil ad te, sancte, an impure uiuant sacerdotes, modò sedeant in cathedra Mosis. SYL.
Qui autem certò possum, ut tu dicis, scire, quæ Germana cathedra Mosis sit, quæ adulterina? FEL. Nihil facilius, modò animaduertere uelis, non auertere. Vnicus hic in Symbolo Apostolorum articulus, Credo ECCLESIAM CATHOLICAM, ueram tibi cathedram Mosis monstrauerit.

strauerit. Catholicū autem id est, sicut Ari-
stoles definiuit, & comprobauit D. Augu-
stinus, quod ubiq; est, & semper est. Quocir-
ca si concordem Diuini uerbi sensum, si or-
thodoxam legitimamq; scripturæ sacræ in-
terpretationem, si deniq; in ipsa Ecclesia
Dei, non in Ecclesia malignantium ciuis es-
secupis, hoc crede, quod credit Ecclesia ca-
tholica, sic interpretare scripturam S. uti
eam interpretata Ecclesia catholica ubiq; et
semper est, & sparsit in uniuersum orbem
Christianum. Ità demum Syluester discor-
dias hæresiū effugeris, ueram Ecclesiæ con-
cordiam tenueris. SYL. Moues tu quidem
me ô Felix, sed nondum permouisti. Nam
quod ad me attinet, facile tibi assentior, si
posses eam Diuini uerbi interpretationem,
quam Papatus profitetur, catholicam esse
euincere, faterer equidem uestram doctrinam
orthodoxam esse, nostram hæreticam.
FEL. Polliceor tibi Syluester, & quod pol-
liceor,

liceor, re ipsa præstabō, quippe omnes arti-
culos catholicæ fidei, hoc est, vniuersæ do-
ctrinæ nostræ assertiones posse à nobis de-
monstrari, quod sint catholicus diuini uerbi
intellectus. Si idem tu Syluester in doctrina
Lutherana demonstrare poteris, hoc tibi
persuadeas uelim, omne dissidium hac unica
uoce, CATHOLICA, continuo subla-
tum iri. SYL. Ego tale nihil audeo polli-
ceri de doctrina: de qua minor nobis est cu-
ra: sed illud nobis curandum est, quid popu-
lo persuaderi possit. Hic etenim ex vita Do-
ctorum omnem doctrinæ veritatem meti-
tur, quandò nullum tenet inter doctorem &
doctrinam discrimen. Itaq; hoc nunc potif-
simum in lancem ponit populus, utrius par-
tis vita moresq; præponderent. Quamob-
rem si hisce Germaniæ moribus mederi vo-
lemus, ex comparatione morum in vtraq;
parte ordiamur, necesse erit. Quotus enim
quisq; vestrorum sacerdotum vel Episco-
porum

porum inuenitur, qui sit ità moratus, ità
animo ac uita constitutus, vt canones vestri
postulant? Quis clericorum sic animatus
agnoscitur, qui disciplinam suam non osten-
tationem potius scientię, sed legem vitæ pu-
tet? Qui obtemperet ipſe ſibi, & decretis ſu-
is pareat? Videre licet alios tanta leuitate,
& iactatione, ijs vt fuerit non ſcire ſuam
doctrinam melius: alios pecunia cupidos,
gloriæ nonnullos: multos libidinum ſeruos:
vt cum eorum vita mirabiliter pugnet ora-
tio, quod & mihi et populo videtur eſſetur-
piſſimum. Ut enim ſi Grammaticū ſe pro-
feſſus quispiam, barbarè loquatur, aut ſi ab-
ſurdè canat is, qui ſe haberi velit Musicum,
hoc turpior fit, quod in eo ipſo peccet,
cuius profitetur ſcientiam: ſic Epifcopus,
Sacerdos aut Monachus in ſcripturæ S.ca-
nonibus peccans, hoc turpior eſt, quod in eo
munere, cuius magiſter eſſe vult, turpiter
pernitioſeq; labitur, doctrinamq; Christia-

C næ vitæ

næ vitæ professus, enormiter delinquit. FE.
Dolendum quidem verò Syluester, secta-
riorum fraude eò res Christianas deuenisse,
vt iam populus nullum queat inter mores
Cleri & doctrinam catholicæ fidei discerni-
culum videre: quo vix vlla potuit maior ce-
citas populum inuadere. Sed tamē quia pla-
cet tibi vtriusq; partis vitia cum vitijs con-
ferre, vt vtra præstet pars alteri morum ho-
nestate, dijudicari polsit, iuuero sanè te. Quæ
ro igitur, quæ tandem est illa catholici cleri
tam foeda, tamq; immanis turpitudo? Nam si
recto iudicio vtriusq; partis perspexi mo-
res, neutram alteri longè anteponendam es-
se intelligo. SYL. Si placet experiamur,
vestrorum ne, an Euangelicorū vita sit lau-
dabilior. FEL. Placet. SYL. Sed vndè vis
ordiamur, variæ enim cum sint materiæ, vel
fordes potius, quarum cœno Papisticorum
sacerdotum vita volutat? FEL. Non re-
pugno. Ab ipso ordire principio adipiscendi
sacerdotij:

sacerdotij: hæc etenim via primam aperire
solet ad omne genus vitiorum ianuam cle-
ro nostro. SYL. Obsequar tibi, & ita fa-
ciam. Quæso te, dic ingenue Felix, quis nunc
vestrorum animo eo capelsit, vt decet, sa-
cerdotium, pietatis videlicet causa, ac suę er-
ga DEVM deuotionis? Video equidem
vestri ordinis plerosq;, quorum alij re sua
familiari domi comesta & decocta, inhiare
Ecclesiasticis bonis, famem vt expleat, ino-
piam vt fugiant: idq; tam apertè quidem, vt
nunc in genere de cunctis rectius dici possit,
q; olim de monachis, sacerdotem facit despe-
ratio. Alij cum videant in eo vitæ genere
omnia licere impunè, nullum fermè scelus
pœnis coërceri, huc velut ad foedissimæ vo-
luptatis patrocinium configiunt. Hic sco-
pus cunctis ferè peculiaris est, atq; commu-
nis. Nam si diuini cultus exercendi gratia
huc adspirarent, non illi istis, quibus nunc
vtuntur artibus, sacerdotia venarentur.

C ij Quid

Quid enim usitatus nunc est, q̄ his conferre
Ecclesiæ beneficia, qui non, quia virtute pol-
leant, literisq; sint egregiè instituti: sed quia
diu famulati sint, quia fideliter Episcopo-
rum redditus procurarint, auxerint, quia
gynæcia Prælatorum arte temperauerint,
vel quia sint agnati, sint affines, sint dome-
stici lurcones nostri, qui ad colendum Bac-
chum & Cererem magis idonei habeantur,
q̄ ad cultum diuinum, ad docendum popu-
lum, ad gubernationem Ecclesiæ. Ideò istis
videas Episcopos malle sacerdotia, q̄ pijs
eruditisq; viris conferre. Sunt etiam non-
nulli, qui vel eam ob caussam turpisimos
quosq; faciunt sacerdotes, ac legunt Cano-
nicos: ut, cum capitulum talium spurcissi-
morum colluuiere refertum est, Episcopi pos-
sint, partim talium capitularium ignavia ac
turpidine, partim detestatione populi,
ecclesiastica bona, iura, priuilegia, & cime-
lia thesaurorum surripere, in priuatum con-
uertere

uertere vsum, ac deniq; eadem ista occasio-
ne, hæreticis prodere religionem ac fidem
Christi. FEL. Verum quidem tu ista Syl-
vester, non enim possum, quod verum est,
diffiteri. Nam memini versiculos rudes sa-
nè, sed scitu non indignos, me audire à maio-
ribus nostris recitari.

*Mos est Prælatis præbendas non dare gratis,
Sed bene nummatis, uel eorum sanguine natis.*

Itaq; videmus non modo indignis donari
optima Ecclesiæ munera, sed etiā turpiter
Simonis Magi exemplo diuendi pecunijs.
At hæc tu Syluester, cum nobis exprobras,
putasne tuos sectarios horū vitiorum im-
munes esse? SYL. Ego verò non opinor:
sed cupio audire. FEL. Vos Syluester, quia
Canonicos non habetis, Prælatos abieciistis,
Parochos solummodo retinuistis, & nescio
quos, Ecclesię ministros, et loco Episcopo-
rum vobis superintendentes extiterunt. An
istorum nulli, vel potius non maxima pars

C iij istorum

istorum non irrepunt in Ecclesias vestras,
alij fraude, alij fauore, alij munerum corru-
ptelis? Esto autem, quod Symoniam non
itâ, vti nostrates exercere possitis, quando
vobis non adsunt tantæ copiæ & opes: non
desunt tamen fraudis artifacia. Scimus mul-
tis in locis, Superintendentes, non ligatis
manicis suos clientes in pinguiores paro-
chias introducere. Quin & ipsi Viteber-
genses Apostoli, vndè eas tantas adepti opes
sunt, si alienæ fraudis munuscula aspernan-
tur? Memini, cum Pomeranus Apostolus
rediret ex Dania, transiectusq; per sinum
Balthici maris esset, nō absq; periculo tem-
pestatis, eum apertè dixisse, cum in Cym-
bricæ Chersonesi littus esset expositus, Tu
habeas meum Euangelium Dania, ego pe-
cuniam tuam: vale. Edidit is pater, post bel-
lum Smalcaldicum scriptum benè longum,
in quo non potuit ineptus senex auaritix
suæ dolos tegere. Sed mortuis quietem pre-
cemur,

cemur, de viuis loquamur. Nec est, quod admodum nobis obijcias Syluester, Episcoporum aut seruulis, aut agnatis Ecclesiæ functiones & opes simul dari, nam ea in parte vestri peccant multò grauius: solent enim Ecclesiarum patroni, quibus est ius conferendi apud vos, si habent talem quempiam in Parochia Parochum, qui non omnia faciat ad nutum domini, solent illi, inquam, eiusmodi expellere, & accersere alium, siue sarcinem, siue calciarium, siue fartorem, siue lictorem aut carnificem, aliosuè generis eiusdem: quibus cum paciscuntur, tanq; diurni laboris mercedem. Interea isti illi fideles patroni, agros parochiæ proprios alienant, sibi adscribunt, census Ecclesiæ præripiunt, paupertatem verò, miseriamq; solam relinquunt nouitio parocho. Quales autem isti sint, & q; fideles pastores, pacta merces ostendit, videlicet esse mercenarios, quibus rectius forsitan coruos pascendos cōmiseris,

q; animas

q̄ animas Christi fidelium. Estnē res indi-
gnissima: Ancilla aliqua, aut mulier ollam
emptura, pulsu digiti prius explorat & so-
nitū, solidanē sit, aut fatiscens olla: vestri au-
tem Parochos suos, quos conducunt, vt sint
animę salutis curatores, non explorant, ido-
neinē sint an inepti, honesti an turpes, sed id
operam dant solum, ne eos cogātur magno
conducere. Ita fit, vt Parochi vestrates in
villis pr̄sertim & oppidulis, haræ purgan-
dæ, q̄ administrandæ aræ, sint habiliores.
SYL. Apud nos ista quidem fiunt, & gran-
diora etiām, q̄ dicis, sed nunq̄ tamen tantis in
rebus, quemadmodum in papatu solet delin-
qui. Meminimus enim, cum regalis perso-
na quædam, specie ioci quidem, & occulte,
serio tamen ad quendam suæ aulæ domesti-
cum diceret, Certabo tecū, depositis virgin-
ti millibus, te Episcopum fore breui, in eo,
quo scis, loco. Obluctabatur sanè aulicus, rē
impossibilem ratus, se ad eius dignitatis gra-
dum

dum posse peruenire. Sed tamen si ita vide-
tur, inquit, curabo ut primo quoq; tempo-
re, eam auri vim deponam. Nam vtcunq;
res ceciderit: si pecuniam perdidero, Epi-
scopatum lucrabor: sin Episcopatum, vi-
ginti millia: nec potero, siue victus sim, siue
vincam, aliquid perdere. Quid verò Felix?
legitima nè isthæc est ad Episcopatum via:
per tectum nè ille, an per ianuam intravit?

FELIX. Ea via intrare conabatur Ana-
nias, sed vtinam eodem spiritus gladio ta-
les helluones confoderentur, quo Anani-
as confossum interijt, in conspectu Petri.

SYL. De isto sacerdotum auspicio, quo
primum se in Ecclesiastica munera inge-
runt, satis dictum esto. Iam id dispiciendum
videtur, quę prima, postq; beneficia sunt ade-
pti, studia sint administrandi muneris: si licet
apud te Felix, quod verum est, dicere. FEL.
Licet, & libere quidem. S Y L. Animad-
verti equidem eam esse omnium curam pri-

D mam,

mam, vt sedulò perquirāt, quām ampli sint,
& quinam annui redditus. Confestim enim,
vt factus est Episcopus, ex numero redditū
init rationem constituendæ aulæ suæ. Initio
magnè est curæ, vt sint aliquot equites nobi-
les, qui cōscissis vestibus, caligisq; serico sub-
farcinato, ad talos vsq; defluētibus, & decura-
to ad nates vsq; pallio induti, prēlōgo gladio
accincti, vel alligati potius, torquibus aureis
ornati, pileo Moschouitico acuminato, phu-
mis circū caput volitantibus obiecti, & alijs
eiusdē generis monstrōsis nænijs conspicui-
in palatio Episcopali frēquentes conspician-
tur, ad mensam circumstēt & ad arā, tali or-
natu, ad decorū Episcopale, & ad exemplum
pietatis, compositi. Hinc continuò et alia est
solicitudo, vt abacus sit extrectus multo ar-
gento & cælato auro, poculis diuersi gene-
ris, vitreis, torneumate, & alijs: itemq; alia
vasa, omnes patinæ, omnes orbiculi, coclea-
ria, candelabra salina, horum vt nihil non sit
argenteum, quod hospitibus apponi debeat:

Sed aureū omnino, vel certe deauratum, quo
Episcopo vtendū, hoc est, vt coclear sit aure-
um, vt bidēs sit aureus, orbiculus etiam, & si
quid aliud præterea. Et breuiter quidem, vt
nihil in tota mensa sit, præterq; Episcopus,
plumbeum. Nec illud in postremis ducitur,
artificiosi coci vt habeantur, & nouorū epu-
lorū ingeniosi inuentores, vt denis vicibus,
nouena fercula ad mensam parentur, prandi-
umq; possit ad vesperā usq;, & cæna ad dimi-
diā noctem, aut ulterius etiā perduci. Quin
& hoc necessarium, vt sit giganteæ staturæ
dapifer quispiā, & qui hunc antecedat, Mar-
schalcus, auro, et argento splendidus, vultuq;
seuerus: itemq; vt iuuenis quispiā, elegansq;
adolescens pocilletur ac prælibet: & huic
proximus, qui carnibus præcidendis mini-
stret, cruribusq; diuaricatis (etiamsi forte
honestæ matronæ & virgines mensæ ad-
sint) lacio suo infarinato & prægrandi an-
terius quadræ labrum terat: tum, vt mensa

D ij circumquaq;

circumquaq; circumfusa sit turba aulico-
rum, puerorumq; in primis nobilium, qui
exiccata pocula repleant, qui quadras com-
mutent, panes reponant, & si quid generis
eiusdem necessarium, subministrent: ne vi-
delicet, quandò cum poculis certamen ini-
tur, casset sedulitas fundendi, replendi, sug-
gerendi. Episcopus interea discere debet ab
aliquo exercitato conuiuatore, vt sciat, quid
colloquij cum quolibet inchoandum: vt, si
adsint milites, de bellis possit et de castris ali-
quid dicere: sin oeconomici, aut patres fa-
milias, de piscibus, de bobus, gallinis, anseri-
bus, de braxanda cereuisia, & re oeconomici-
ca: sin mercatores, aut Iudei, de quaestu, de
vsura, de permutatione monetæ, de rebus
Indianis, de pipere, croco & similibus. Et
cum forte deest garrulus quispiam, aut ob-
scenus conuiuator, qui exhilaret conuiui-
um, moriones accersuntur, non illi Syriaci,
faceti vt sint, sed crassi Asotici, qui qualibet
in re

in re scapham possint scapham dicere, iam
de prioribus Aristotelis, iam de posteriori-
bus, & à virili partu argumentum ad mu-
liebrem ducere: nam de his ut possit aliquid
in mediū adferre Episcopus, peritiæ signum
est: ut autem aliquid de sacra Theologia, de
Biblij, de philosophicis artibus, de historijs
Ecclesiæ, vel rerum publicarum, id scholari-
um esse videtur, & baccalaureorum inscho-
lis, non Episcoporum munus. Sed hæc quæ
diximus quotidiana conuiua sunt, audies
etiam Felix, de festiuis & letioribus. Solent
enim quidam, cum carni volunt negotium
facere in ocio (quod faciunt ferè quotidiè)
adhibere ad menſam dicaces aliquot, & festi-
uas mulieres, quæ & risum possint excitare,
& inflammare Venerem, dicterijs scilicet
illis, quæ affectus illos Spiritualium homi-
num, episcopales commouere possint, re-
tinere non possint. Tametsi non soleam ex-
emplis libenter vti, vnum tamen recitabo,

D iij tibi

tibi non minus, q̄ mihi, notum. Meministi
opinor illius celeberrimi cōuiuij, quod pro-
pter voluptariæ amænitatis excellentiam,
Paradyſus appellabatur. Instruxerant enim
duo prælati (nomina reticeo) palatiū quod-
dam, credo Appollinē Luculli, diebus æsti-
uis, omniq; arborū genere ad quincuncem
distinctū, & floribus tapetijſq; sic ornatum,
ut aliquam speciem paradyſi præferret. In
eo apparatu conuiuiū fuit, fēminæ accersitę,
& sodales cōsimiles, pransumq; est, et datum
gulę tantum cibi et vini, quantū satis videba-
tur ad choreas, adamores, ad Venerē. Tan-
demq; mensis remotis (actas Deo gratias in
tali cōuiuio, quis dubitet.) surrectum est, fa-
milioq; exire iusso, clausę ianuę sunt, inte-
reà pudicæ illæ Euæ, & duo illi Venerabiles
Adami vestes omnes & induſia exuerunt:
mox nudæ Euulæ istæ recondiderūt se intra
folia arboris vitæ, donec satyriscū saltare ce-
pissent veruncantes Adami. Qui tamē mox
per

per frutices, per arbores, per folia quiritan-
tes, vix tandem Euulas suas repertas ad chore-
am protraxerunt, nudi cum nudis, & cætera
quis nescit? Ità nimis, cū illa historia Ge-
neseos verbis vix satis explanari possit, qua-
si in rem præsentē praxin istius rei, p[ro]ij Patres
adducere voluerūt, vt, quod prælegendo non
satis assequividebātur, actu monstrando eui-
dentiū declararēt. An nō dignū exemplum
castimoniæ Prælatorū? Nōnè graphicè hanc
frugalitatē in vestris Prælatis depinxit Esai-
as Propheta? Cōsurgunt inquit, ad ebrietatē
festandā, & potandū usq[ue] ad vesperā, vt vino
æstuēt, cythara et lyra, & tympanū & tibia,
& vinū in conuiuijs eorum, et opus Domini
nō respiciūt: nec opera manū eius respiciūt.
Itē & alio in loco: Venite sumamus vinū, &
impleamur ebrietate, et erit hodiē sicut cras
et multò amplius. Quę bachanalis prælatorū
canonicorūq[ue], luxuria cū aliās semper, tū cer-
tē nūc execranda est. Verū quid sit? Adeò illi

paterneq; vicem dolent Ecclesiæ, ni-
mirum patres sancti: vt die noctuq; omnem
vitæ suæ diætam, vel conuiuarum garritu,
vel tympanorum tubarumq; sonitu curent
continuo perstrepiscere, ne scilicet frago-
rem ruentis Ecclesiæ vlla ex parte audire
possint, aut persentiscere. Quælo te mi Fe-
lix, liceat nobis inter priuatos parietes ve-
rum loqui, nonnè est talis viuendi ratio ve-
stro clero vsitata, & propria quidem quarto
modo: quid tibi videtur? Quid etiam ille
vester, quem nosti, cū admonitus, vt Chri-
stum curaret, Epicurum mitteret? at ille
verò, Lassa me godere di questo Epato.
Sed his commemorandis finem faciam, vt
audiam, quid tu in partem possis contrari-
am. FEL. Ego verò, vt reliqua generis
eiusdem inuitus planè, sed tamen, ne simili-
um sordium vestrates Euangelicos existi-
mes esse immunes, vicissitudo colloquij po-
stulat, vt etiàm aliquid afferam in medium.

Primum

Primum vt in genere dicam, quid vnq̄ potuisset excogitari, vel ad perniciem honestatis, vel ad exhauriendas priuatas opes calamitosius, q̄ omnem tollere legem ieunij: Quod quidem ieunium tantopere nobis scriptura omnis commendat, vt propter multiplicem eius utilitatem Apostolis necessitatem prebuerit, cur aliquibus certis diebus ieunium indicerent, omni autem tempore mandarent temperantiam. Hinc extiterunt ieunia aliquot, vt quadragesimale, quatuor temporum, vigiliarum Sanctorum, ieuniū Aduentus: & vt in die Veneris & Sabbati homines abstinerent à carnisbus, piscibus vescerentur, quòd ij minus alimenti haberent, illæ plus: quòd hinc libido insurgere soleret, & omne genus luxuriae. Quid autē sublati his salutaribus Apostolorum præceptis secutum est? Crapula infinita, luxus immensus, helluationes quotidianæ, ebrietates inusitatæ, commessatio-

E nes

nes beluinæ, & apud diiores conuiia, quæ
multitudine ferculorum naucent, vino, va-
rioq; potu madeant, ac fluitent. Cuius rei si
varia exempla voles, & documenta cogno-
scere, legas queso cuiusdā Germani Euange-
lici prædicantis librū, de potatore Dæmone
in scriptū. DEVS bone, qualia portenta ille
cōmemorat, quæ ante à ignota fuerunt, nunc
primū peperit noui Euangelij vestri nuper
reperta libertas. Tametsi etiam ante istud
Euangelium ebrietatis gulæq; vitiū grassa-
batur apud nos in Polonia: nunq tamen pro-
fectò ità fœdè increbuerat, sicut nūc regnan-
te Euangilio isto vestro: quod cum neget,
vlla bona opera ad salutē esse necessaria, imò
affirmet obesse vehementer, quid aliud ist-
hinc sequi oportebat, q; si iejunium non exi-
gitur, crapulari, commessari, ineibriari sit li-
citum? quàm si eleemosinæ non prosint,
vt in luxum, in fastum, in splendida ædificia,
in superbiam, opes priuatas conuerti, liber-
tas

tas Euangeli suadeat? q̄ deniq; si nec preces
fuerint ad salutem necessariæ, quin maledi-
cendi, blasphemandi, conuiciandiq; libertas
omnibus impunè concedi debeat, nemini
interdici. Sicut etiam nunc fit, et planè fit, &
nusq; horribilius, q̄ vbi nouum cœpit re-
gnare Euangelium. Meminimus in mul-
tis locis Germaniæ, qui mos etiam apud
nos nuper inualuit, nunq̄ crebriora haberi
cōuiuia, q̄ aut die Veneris, aut in alicuius S.
vigilia. Festos dies penè omnes vos Euan-
gelici abiecistis, retinuistis Bacchanalia: quæ
etiamsi certis de causis, cum sint Ethnica,
retenta fuerunt in Christianismo, suo tamen
& idoneo tempore. Quid autem vos? Loco
mouistis, & quod vna hebdomade propter
infirmitatem Christianis concedebatur, vos
per integrum annū sparistis, ut quævis septi
mana, quiuis dies, quodus anni tempus sint
Bacchanalia. Quoties noscum magnō dolo-
re vidimus, in ipsa magna hebdomade laruis

E ij indutos

indutos discurrere, & crapula, atq; libidine,
in ipsa sacra parasceue ludibundos diffluere
in omni genere obscenitatis ac lasciuiae. Huc
adde, quod nobiles vestri, tanto studio cu-
mulant tabernas in oppidis, in pagis, in vi-
cis: ut nusq; non sit ebrietati locus & gulæ,
& obscenitati rusticorum. Cereuisiam co-
quunt illi, quæ crepitibus magis prospicit &
ructibus, similibusq; Euangelicæ diætæ re-
gulis accommodatæ, q; restinguendæ siti. Nec
satis est tabernarijs crudam cereuisiam et fu-
mosam obtrudere, sed etiam cogunt rusticos,
vt nusq; aliundè, nisi ex tabernis sui Do-
mini capiant cereuisiam. Addunt huic rusticorum
enormi ebrietati choraulos, & simi-
les phonaicos, qui saltatione & tumultu ru-
sticos inflamment, reddantq; ad haurien-
dam malam cereuisiam audiiores: vndè de-
mum iurgia oriantur, verbera, cædes: è qui-
bus omnibus, plurimum lucri dominis ac-
cedat, & subditis magna licentia helluandi,
facultates

facultates suas perdendi, alienis rebus in-
hiandi. Quid tibi Sylvester, veranè hæc, an
falsa videntur? SYL. Sunt ut dicas: impu-
dentis enim esset velle inficiari, quod cunctis
notum: hominis scelerati defendere, quod
flagitiosissimum. Verum esto, sit paritas in
ebrietatis vitio utrobiq; certè in libidinis
malo non fuerit: quantum enim libidinis
incendium iam multo tempore arsit in re-
gno pontificio? Coniugium sacerdotibus
ademerunt, concesserunt scortandi liberta-
tem, & tot quidem, tamq; fœdis modis, ut
nullius mens hominis satis cogitare possit,
nullius tantum sit flumen orationis, ut satis
effari. Visnè, percurram obiter hoc thea-
trum regni vestri? FEL. Volo, non enim
me, verum dicens, offenderis. SYL. Vi-
demini sanè non solum vitia hac in responde-
fouere, sed etiam violare expressum Dei
verbum. Dictum quidem Pauli est, sed ver-
bum Dei tamen: Melius est nubere, q; vri.

E iij Vos

Vos contrâ, melius est scortari, adulterari,
fornicari, q̄ nubere. Matrimonium enim in
sacerdote crimen inexpiable est, scortatio
iocularis nugatio. Verū sicut initio p̄fati
sumus, nō tām velle, quid in dogmatibus ve-
rum sit vtrobiq; vel vtri alteris doctiores, q̄
experiri, vtrius partis mores sint p̄fstan-
tiores: itaq; dogmata mittamus, & Papismi
vestri & Euangeli nostri fructus collustre-
mus. Scimus Felix, olim non modò pietatis,
sed castitatis etiām fuisse maius studium
in clero, q̄ nunc est, etiām vestrorum homi-
num iudicio. Is Pater, qui Canonicos ex ce-
nobijis, hoc est, ex communi viuendi socie-
tate primum exemit, deditq; potestatem,
vt extructis priuatis ædibus, separatim lice-
ret viuere, tantum malum attulit pudicitia
cleri, adeoq; erexit liberè scortandi vexil-
lum, vt nunc apud inferos publicæ libidinis
poenas dependere existimetur. FELIX.
Quid? Monachinè fuerunt Canonici quon-
dam?

dam? SYL. Monachi prorsus. Apud
vos in Polonia & Silesia, quia tardius isthuc
Christianismus peruenit, nulla admodum
extant eius rei vestigia: in Germania au-
tem, & alibi paßim, monumenta certa re-
perias. Vidi istinè porticus illas quadratas ad
cathedrales summorum templorum Basili-
cas? FELIX. Vidi, maximè ad Rhe-
num cum fui, & alijs in locis Germaniæ.
SYL. Hæ porticus communis Cœnobij
normam demonstrant. Nam proximis epi-
stiliorum contignationibus cellulæ adhuc
visuntur, quæ singulis Canonicis singulæ
fuerunt olim. Quin adhuc paßim vide-
as commune aliquod penes easdem porti-
cus dormitorium, & refectorium pariter,
sic enim illi suum cœnaculum appellabant.
Habitationis Canonicorum locus, à domo
Germanis nomen habet, vnde & ipsi
Canonici Domherm/ quasi Domini uni-
us domus, & societatis nuncupabantur.

Quæ

Quæ sanè ædificiorum forma, & vis vocabuli, normam nobis sanctioris disciplinæ, oboculos quasi proponit. Mater nequitia est solitudo, &, remotis arbitris, anceps occasio. Ex vna popina comedebant, ex vno celiario & ex eadem cupa bibebant, idq; eodem in loco omnes: diuersis quidem cellulis inclusi, ijsdem tamen parietibus septi, dormitabant. Omnia hæc & castitatis erant, & sobrietatis indicia. Nunc verò quid? Tēdet reminisci, pudet dicere. Quām autem probabilis excusatio? Quia enim votum nullo pacto liceat frangere, honestanè specie, iuris iurandi voto satisfactum est, quod ex superfluentibus copijs Canonici alios Canonicos instituerunt regulares, vt ipsis liceret irregulariter viuere. FEL. Nescio quorsum ista dicas, velim explanes clarius. SYL. Ego verò quidem, sed nescis tu Canonicos hinc traxisse nomen suum, quod Canon est regula, vnde Canonici appellati sunt, vt vitam secundum

secundum regulā ducerent: verū illi contrā, cum opibus cepissent abundare & copiis, vt sibi liceret sine regulis, id est, irregulatiter, eodem in oppido, vbi cathedralis Ecclesia est, ibidem condiderunt alios Canonicos, quos regulariter regulares volebant dicī, vt ipsis voti sui regulam seu canonem ab iijere fas esset, & alijs castitatis regulā committere. FEL. Miror equidem, at doleo tamen, sunt enim, quæ narras, veri similia. SYL. Nondubites. Vide autem, quid indē secutum. Quoniam quilibet Canonicorum priuatas ædes suas iam inhabitat, duo famuli ei conducendi sunt: quorum alter ab equis sit, alter à cubiculis: duæ famulæ pariter, vna quæ cibum paret, altera quæ sternat lectulos: etenim minori familia canonicalis dignitas contenta esse non potest. Hinc iam rationem inito, quid ocium & alienus cibus non faciat. Postq̄ preces canonicæ absolutæ sunt (quanq̄ admodum rarò absoluātur qui-

F dem)

dem vel inchoantur etiām:) itemq; postq;
& pransum & cœnatum est, & viscera ven-
terq; vino ciboq; refertus, quideredis me-
ditari canonicum? Ad stabulū videlicet re-
legat stabulatorem, puerum in scholas di-
mittit, aut aliud quippiam, vt faciat, iubet.
Interea cum coca iocus, cum cubicularia cu-
bilia. Hæc quanq; mi Felix adhuc tolerabilia
videntur, non enim si satis castè, satis caute-
tamen: quid autem de his dicemus, qui inte-
gra fouent domi lupanaria, prostibula eri-
gunt, lenones accersunt, lenasq; similiter,
vxores à maritis pelliciunt, virgines arte
lenonia persuasas, in hunc ludū pertrahunt.
O domus vestro regno dignas. Quid putas
ô Felix (vtinam non miser & infelix) qui
vides furem & curris post eum? Quid, in-
quam, putas? ea in societate Ecclesiam po-
nis? Dictu est nefandum, cogitatu horribi-
le, ex illa enim schola, quas artes profici-
arbitrainur? Maleficia nimirū, incantatio-
nes,

nes, magicæ præstigiæ, phyltra, dæmonum
collusiones, & plurima generis eiusdem.
FEL. Abundè tu quidem de istis Syluester,
atq; adeò etiàm, vt iam liceat dicere,

Claudite iam riulos pueri, sat prata bibere.

Arbitror enim nunc tempus esse, ut par pari
referam: nam si tibi libet, quæ velis dicere,
vicissim decet, vt quæ nolis, audias. An non
similia multa in grege tuo reperisti? Quanq;
vobis videbatur, non solū vestris cōcionato
ribus dari vxores, vt esset id tale matrimo
nium, capistrū Lutheranicæ captiuitatis, sed
etiàm, vt hoc prætextu sacerdotes vestri vel
predicantes castiores existimaretur: verun
tamen quid euenit, mi Syluester? Memini
mus quendam ex Lutheranicis Principibus
non postremū, dolenter cōqueri, quod ma
trimonium ministris Ecclesiæ cōcessum sit,
cum videat, ne matrimoniū quidem Luthe
ranorum sacerdotum seu prædicantiū libidi
nibus mederi posse. Turpis quidē scortatio

F ij est,

est, fateor, & offendiculum graue: sed adul-
terium & turpius & grauius simul. Si in ve-
stris obscuris Ecclesiasticis seruulis, æquè
conspicuum esset dedecus, atq; in nostris Prä-
latis & Episcopis est: credemihī, multò fœ-
dius culpares, in plerisq; vestrum coniu-
gium, q; in nostratibus cœlibatum. Ante bi-
ennium cum fortè ex Gallijs per Thuringi-
am in Poloniam reuerterer, incidi Neobur-
gi in quosdam vestrarum Ecclesiarum visi-
tatores: in quorum visitatorijs tabulis vidi
et plura et deteriora ab Euangelicis concio-
natoribus coniugatis commissa, & diuersa
& varia adulteria, q; vlla possint apud nos in
tam augusto orbe terrarum scortationes
reperiri. Nec profectò mihi dubium foret,
si vestri concionatores has facultates essent
adepti, & aliquantulum plus dominationis,
q; nunc habent: quin multis modis turpiora
commissuri videautur. Exemplum tibi pos-
sim vnum atq; alterum recensere, ex quibus
multa

multa similia conijcias. Anni admodū pauci
sunt (sic enim ex vicina Sileſia increbuit)
quod in ditione Vratislauieſi Sacerdos qui-
dam Lutheranicus, qui Catholico sacerdoti
moribundo, formatā furatus, ac raso in his
literis alieno nomine, suoq; inserto, paro-
chiam quandam tali fraude & criminē falsi,
tanq; à catholico Episcopo effet ordinatus,
adeptus erat. Sed neſic quidem ſatis habilis
putabatur lutheranico Superintendenti,
qui n̄t constantiæ erga recens Euangeliū
ſuæ dare et documentum, vxorem illum du-
cere oportebat. Verum hæc vxor, cum no-
uello marito iam cepiffet minus placere, &
mulieres aliæ placere magis, toxico illam
interemit, vt ad noua vota libido ardentior
transferretur. Interrogatus autem, qua oc-
caſione tantum patrasset ſcelus : respondit
coniugium in Lutheranis ſacerdotibus non
reſtinguere vagas libidines. Si exemplis re-
iſta illuſtranda effet, Dij immortales, quan-

F. iij tum

tam tu mihi vestrarum turpitudinum syl-
uam aperuisses. Hoc saltem abs te quæro, an
vsq; vlo seculo antè libidines adeò frequen-
tes, adeoq; variæ in omni genere sexus,
ætatisq; exarsisse commemoretur, q; hoc
seculo nostro? Non sanè arbitror. Nam
hoc vnicum decretum Lutheri, quasi lex
diuina nunc passim habetur, nullum mor-
talium posse continere, & non minus, q;
non expuere saliuam: itemq; nec minus vi-
rum muliere, vel mulierem viro carere
posse, q; vllum hominem aut cibo aut po-
tu. Hoc vexillum castitatis & continentia,
primus erexit Claudius Nero, Cæsar Ro-
manus: qui Tyrannus natans inter spurcif-
simas libidines, palam dictabat, impossibile
esse, vt aut adolescens, aut puella, aut mas,
aut fœmina, si modò Veneri apti sint, à Ve-
nere abstinere possit. Arripuit hoc Ne-
ronianum vexillum Lutherus, refixitq; in
Germania: ad quod iam tot yndiq; con-
currunt

currunt impudicitiae sorores, libidinum fra-
tres, quot munera Cereris & Bacchi in-
fartire queant. An non cum videmus ado-
lescentulos hoc tempore palam scortari,
aut si ab hoc vicio retrahuntur, sibi dari
vxores flagitare contumaciter? Tum verò
puellas, si aut libidine lapsae sint, aut aliàs im-
pudicè lasciviant: tam has, q̄ illos proterue
Neronianam legem Lutheri obtendere: is
Tyrannus enim, ex vno se metiens vniuer-
sos, statuit impossibile esse, hominem castè
continenterq; posse viuere, cū Venus æquè
necessaria sit atq; potus ac cibus. Ex his
nouis nuptiarum ritibus, pueri ducunt, pu-
ellulæ nubunt, tandemq; nascuntur viri illi
tam strenui herœs, qui bello Turcas vltra
Caucasum montem submouere, qui sanis
consilijs & concordibus pacatam Germa-
niam reddere, qui deniq; hoc aureum se-
culum, quo nunc Germania mirum in
modum floret, reducere in Christianum
orbem

orbem possunt. Ob eosdemq; nouos nu-
ptiarū ritus vobis Euangelicis verè licet di-
cere, Nos senes nascimur, Itali, Hispani, Lu-
sitani semper sunt pueri. SYL. Quamvis
Iudere videris in reseria, dicis tamen ea, quæ
si inficiari vellem, impudens sim oportet, si
defendere, nefarius. Migravit lex ista ex
Germania in Poloniam, quæ nō tantum ait,
castitatem, vel continentiam impossibilem
esse, sed etiā nescio, q̄ in ipsa fornicatione
commendat castitatem. FEL. Cum sciam
te Syluester, hoc in genere Ecclesiastici iu-
ris versatum, cupio mihi ut explices, an ista,
quæ nunc apud Euangelicos frequentia sunt
repudia, vlla scripturarum autoritate pu-
tes posse permitti. SYL. Quænam illa sunt
repudia? FEL. Varia illa quidem & multi-
plicia, quæ nunc referre intempestiuum, in-
finita sunt enim: vnius satis est, vel alterius
exemplum proferri à me. Accidit nuper in
vicino oppido, cum quidam in Liuonicam
expeditionem

expeditionem profectus, liberis domi aliquot & coniuge relictis, non ita subito sicut vxor volebat domum reuertit. Interea mulier amoris noui concitata flammis, consilium petijt à quodā Euangelij præcone, quidnam videretur, quoniam maritus absit, & cum melius sit nubere, q̄ vri, an non præstet, vt priorem maritum repudij libello submoveat, cum non statim adsit ad quemuis libidinis ardorem, & ad vota nouarum nuptiarum, ne vratur amplius, transire, atq; mox sibi accersere maritum nouum. Quid hac in re faciendum censes? Ecce expressum Dei verbum, Melius est nubere, q̄ vri. Maritus enim quia aberat, & de reditu fæmina ambigebat: at interim tamen lex Pauli vrsit, vt præstet carnis ardorem noui mariti coniugio restinguere, q̄ diu expectando vri desiderio veteris mariti. SYL. Abs tecupio istud audire, qui me ista in re es peritior. FEL. Quid antiqui iuris fuerit, nec tibi est,

G nec

nec illis, qui istud sciscitantur, ignotū. Quare nolim tām, quid iuris sit, sciens quāras, q̄ quid sentias de ipso facto. S Y L. Ego verò iuris istius Ecclesiastici non itā gnarus sum, q̄ non imperitus communis experientiæ: quæ nos abundē satis monet, quid hoc in genere casuum matrimonialiū apud nos siue rectē, siue perperām fiat: vndē quidem, si quid mei iudicij est, arbitror sanè præstabilis esse, subinde vetera cōiugia rescindere, & permittere noua, q̄ aliquid prohibere, quod carnem vrat, nubere impedit, & quasi noua gaudia inuideat humano sexui, ac velit stabilire doctrinam Dæmoniorum, quæ uertet nubere. Nam indē quid est, quod admodum res Ecclesiæ perturbet? FEL. Nihil planè, vt opinor, nisi incertum quod facit sacramentum Matrimonij, & dubiam sobolem (nimirum quæ res parua est) quasi verò lex Pauli eò respexerit, vt hoc sacramentum velit potius mulierum virorumq; libidine

libidine moderari, ut cui libet liceat, quod libet, q̄ ponderare ex hoc immutabili DEI mandato, Quos DEV S coniunxit, homo non separat. Tantum, credeminihi Syluester, mali iam ortum est, breuiq; orietur, ex peruersa illa Paulinæ legis interpretatione, vt sediora multa isthinc nobis expectanda sint, q̄ Turcis ex sua Polygamia: quibus tot licet, quot libitum est, vxores ducere. Nec velim à me ut postules exempla: domi sis oculatus Sylvester, & si quid hic documenti deesse putas, effe oculos in vicinam Germaniam, & ibi quæ audieris, quæ videris, quæ experitus sis, in animum reuoca: nec tam velis esse iudicem hac in re, q̄ testem conscientiam tuam. Sed hæc satis & abunde quidē de gula & libidine. Quid aut̄ est Sylvester, quod desideras amplius in vita Clericorū? SYL. Si desiderij locus est, tantū omnino est, quantum planè satis fuerit ad extirpandam Romani Papatus sedem. FEL. Sufficiat igitur, quod

G ij satis

satis est, nec ad viuum omnia, &, vt sapiens
quidam monet, Ne quid nimis. Nam per se
res plena odij est, & nauseæ & facietatis, de
libidine & gula, communia hominum vitia
exponere, cum hæc videantur potius eius-
modi esse, quibus quisq; in corpus peccet su-
um. Hæc ergò suæ cuiusq; intimæ conscienc-
iæ relinquamus. Iam verò de administra-
tione sancti illius patrimonij Petri colloqua-
mur paululum, videamusq; quò opes tantæ,
tam citò, tamq; grādes profluxerint. SYL.
Tu verò Felix, equum non videris in fossam
detrudi, sed in campum emitte suadere. Ex-
pectabam istam vt mihi occasionem præ-
beres. Scio equidem multis retrò seculis im-
mensas opes, thesaurosq; Principū, pio stu-
dio collatos esse Clero, vndè tot paſſim vi-
demus surrexisse basilicas cathedrales, tot
templa, tot fana, tot sacella: &, ne his deef-
ſent certi greges, gregumq; magistri, hinc
promanarunt Cardinales, Patriarchæ, Ar-
chiepiscopi,

chiepiscopi, Episcopi, Corepiscopi, Suffraganei, Prælati, Abbates, Præpositi, Decani, Archidiaconi, Scholastici, Custodes, Canonicī, Vicarij, & maxima illa Monachorum varietas, quæ diuersis distincta nominibus, & colore & habitu & ritu viuendi, penè innumerabilis est. An hac in tanta omnium ordinum, Ecclesiarumq; omnium conturbatione, putas nō maximum esse tantarum opum facultatumq; temporalium abusum? Minores gentium omittamus, in paruis enim rebus peccata non fiunt magna: sed reliquos gradus videamus suo ordine, & de Canonicis initio. Postq; enim Canonicis concessum fuit extra commune collegium priuatim viuere, DE VM immortalem, q; creuit primum auaritiæ studium. In communi contubernio cum essent, vno quilibet Canonicorū, aut certè altero beneficio contentus erat. In hebdomadem singulis sumptus certus, quem refectionem vocabant,

G iij dabatur.

dabatur. Deinde distributiones fiebat etiam
semestres, quas vulgo solent grossas aut ma-
iores dicere: quae eò dirigebantur, ut cuili-
bet ad vitæ suæ cultū, libroſq; necessariæ ex-
pensæ suppeditarentur: reliqua verò, si qua
supererant, in alios pios vſus, in hospitalia,
in cœnobia pauperum, Virginum vel Mo-
nachorum, in ſcholas, in erectionem alta-
rium & similia destinabantur: quorum de
mensis antiquæ fundationes piæ etiamnum
erectæ cernuntur. Nimirum quia rebantur,
nec vnum posse plus, q̄ vni altari seruire: fi-
quidem vniuersi beneficij, ministerium vnum
totum hominem, & huius integrum Cano-
nicarum precum penſum requirat. Vnum
ergò censebant cuilibet Canonico cōceden-
dum beneficium, non plura ſingulis. Iam ve-
rò inuersa videmus, & peruersa omnia. Re-
perias nunc multos, quorū ſinguli obtineant
propemodū infinita: ſunt enim qui habeant
beneficia, non modò ad vietū, cultumq; vite,
ſed

sed ad instrumenta etiam omnium voluptatium distributa. Meminimus Cracovię Prælatum, qui habebat singula beneficia pro singularis familiaris rei functionibus : aliud quo cocus alebatur, aliud quo stabularius, aliud quo cubicularius, aliud quo ganymedes, aliud quo concubina, aliud deniq; quo axungia emebatur. Intereà taceo, quot ipse Prælatus pro se, mensaq; sua, & splendore prælaturas habuerit, idq; nō vnum beneficium sub vno tecto, sed sub vno eodemq; q̄ plurima : vt propemodum posset idem vnum Prælatus, tot in codicillis suis sacerdotia computare, quot in anno dies. Hinc demum qualis soleat exerceri mercatura, quales emptiones, venditiones, resignationes, referuationes, pensiones, permutationes, & vt breuiter dicam, nullum non exercendi fœnoris quæstusq; illiciti & Simoniæ studium. Et vt multa humanæ saluti pernicioſa præteream, quid execrabilius aut dici

aut

aut cogitari potest, q; quòd pleriq; Canonici
corum, aut horum similes, solent parochias
(siue fauore præfulum, siue mercatura, aut
simoniacis artibus, h̄c non commemoro)
impetrare passim. Videmus enim hos paro-
chiarum aucupes, cum opimas sint adepti,
ijs præficere mercenarium aliquem ex eo
genere, qui lupum fugiat, gregem non ma-
gnifaciat, nisi prælente lacteatq; abdomine.
Interea verò regulares illi, præclariq; aucu-
pes parochiarum, fructus admodū studiose
inquirunt, colligunt, in horrea sua compor-
tant, & sicuti consueuerunt, fruuntur venu-
stè atq; genialiter: at verò interim à merce-
nario malè pasci, perniciose deserit, fraudu-
lenterq; prodi lupis dominicum gregem;
nullius curè est, sed iocus & ludus Canonicorum.
Hæc obiter de Canonicis. De Episco-
pis verò & Abbatibus quid referam: mul-
tos noui Abbates, qui rectius villici procu-
ratoris integrum munus nossent, q; primam
syllabam

syllabam docti pijq; Abbatis. Vnicahis cura
est (voluptatem tamen & luxum excipio in
plerisq;) prouentus Monasterij studiosissi-
mè conquirere. Estq; hæc prima cura & sa-
lus monasticæ vitæ, vt loculi referti sint, &
abundent pecunia. Dant ergò operam Ab-
bates (loquor de his qui laudabiles putantur)
vt piscinæ quæstuosæ sint, partim nouo se-
minario fœcundæ, partim adulto pisce vbe-
res. Hinc exitur in sylvas, vt hæ sint cæduæ
ad annum lucrum, vt hæ alendis porcis
glandiferæ habeantur, & feras contine-
ant, ne in vicinias excurrant, neuè alijs, ni-
si domesticis sit facultas venandi, & hunc in
vsum, vt alantur canes q; plurimi, frequensq;
sit ociosa turba famulorum: atq; si famuli
desint, vt rustici, neglectis domi necessarijs
operibus, hoc faciant: in eiusdemq; syluis, vt
apum examina atq; aluearia affatim foue-
antur, vndè quæstui multum accedat, & cu-
linæ prospiciatur. Hinc proxima sollicitudo

H de ad-

de administrandis prædijs: vt vaccæ fœcundæ
sint, abundantq; lacte, caseo, butyro: vt vitu-
li succrescant, boues grandescant: quorum
alij quotidianis epulis suppetant, alij venum
propositi, Abbatialē crumenam infarciant.
De equis, de capris, de porcis, de ouibus, de
anseribus, & gallinis eadem procuratio, &
solicitudo est. Nec hoc in loco cessat agri-
culturæ exercitatio: hoc nimirum studiosi
Abbatis est, prouidere ut agri stercorentur,
arentur, occentur, serantur: vt horum fossæ
pastinentur, riuuli ducantur: vt deniq; vber-
rium fundant fructum, tam agri, q; prata,
atq; pomaria, omnisq; res rustica quæstuosa
vt sit, vnica cura est Abbatialis studij. Harū
igitur rerū copijs opibusq; cū Abbates ab-
undent, statim illi in hęc verba, Et nos poma
natamus fastidiunt continuò, cū iami sunt in-
flati (infulati volebā dicere) vt Patres vene-
rabiles appellētur, sed audire volunt Milof-
civyy kxieze, et, yt in Marchia mēa gradige

herit.

Herm. Voluntq; non solū sui cœnobij Abba-
tes dici & scribi, sed Domini etiā. Vide, quid
aliud de illis statui potest, q̄ quod (inuitō
Christo saluatore, qui vetuit, ne benefici,
hoc est, ne Miloscivvy & gn̄dig vocentur)
vetitos & interdictos titulos usurpent? Hec
ludicra adhuc sunt, si quid patrent Episcopi,
consideres. Abbatum cura, quam recensui,
planè eadem est cum Episcopis communis.
Quid enim aliud pleriq; Episcopi nunc, q̄ vil-
lici, q̄ quæstores, q̄ fiscales, rerumq; munda-
narum procuratores? Tantò plus student
auaritiæ, quantò ad hoc vitium occasiones
habent grandiores. Præter istud, quod re-
censui, Abbatiale studium, & hoc Episco-
pis peculiare est, præsertim hoc tempore,
cum passim altaria, mansionariæ, vicariæ,
canonicatus, hospitalia, similiaq; generis
eiusdem, propter inopiam personarum va-
cent, ut harum rerum fundationes, vel op-
pignorent, vel diuendant, vel extinguant

H ij etiām,

etiam, & transferant in cognatos, in agnatos & in alios, quibus ipsi fauent, adulterinos successores. Quid interea quæso ô Felix, fundatores talium eleemosinarum, quorum monumenta, abolita memoria beneficiorum, extinguuntur, & preces, cultusq; diuinus, quæ pro illis, ex talibus fundationibus, quotidiè fieri debebant, penitus obliterantur? Quis etiā laudare potest noua ista Episcopalia quæstuū aucupia? Sacerdotia aut vendunt pacto pretio, aut largiuntur agnatis, familiaribus, domesticis famulis, hominibus nimirum ad vitia huius seculi promptioribus, q; ad peragendum cultum diuinum instructis. Infinitum hoc chaos est, quis hæc scelera enumeret? Notum tibi est procul dubio, quantas opes pleriq; Episcoporum Mammoni suo hinc cumulauerint, dum nulli Iudæi fœnus foedius exercere, nulli mercatores lucrum turpius vnq; facere soleant. Romæ, vti auditum est, quid his in

his in rebus vſitatū, quid communis cursus
Curię, quid fraudes istae curiales, et valeat &
valuerint hactenus, mens abhorret dicere.
Memini ego Cameracensem Cardinalem,
Iliada talium querelarū Constantiensi Con-
cilio proponentē aſſerere, addita hac obte-
ſtatione, niſi iſtae Romanenſis curię, cetero-
rumq; tam Cardinalium, q̄ Episcoporum
corruptelæ ſublatæ fuerint, funditus Ecclesi-
am perire oportere. Atq; profectò verè
quidem. Nam quæ vlla turpis lucri faciendi
occasio prætermiſſa eſt. Taceo multitudi-
nem beneficiorum, Episcopatum, Abbatia-
rum, Præpositurarum, quæ tenent singuli :
taceo simoniacas emptiones, permutatio-
nes & ſimiles practicas, quas nunc honeſto
titulo finantias appellare conſueuerunt. Sed
fortaffè nimis quidem à me tibi obiecta vi-
debuntur, cum ad personas potius eius ge-
neris vitia referenda putem. Atq; ne, vt in
Comœdia eſt Aristophanis, dicere tantum

H iiij velim,

velim, & audire nihil, aueo nunc audire vi-
cissim de nostris Euangelicis, an habeas si-
milia. F E L. Ego verò mi Syluester, quæ
recensuisti, non vt refellam, sed vt dolorem,
quem ex vitijs vtriusq; partis grauem cir-
cumfero, tibi declarem, placet non tam si-
milia vestratium, quàm multò immaniora
proferre. Memini te enumerare opes Ec-
clesię, et q̄ in his varij abusus grassentur apud
nos, perstringere. At verò mi Syluester, si
licet verum loqui, et rem cū recomponere,
tu etiā aliquantulum pressius vestrā ducas
ad limam. Vt cunq; simonia in Pontificijs
multa sit, nec eo in usu, quo maximè debe-
bant res Ecclesiasticæ, versentur : apud vos
autem vide, q̄ vnā, res cum abusu extinctæ
partim, partim debilitatæ intereant. De
Apostatis, siue illi Canonici sint, siue Præ-
lati, siue Abbates, siue Episcopi, quid debe-
at dici, iura iam olim præscripserunt : quid
autem nunc constitui, summæ infirmitatis
est.

est. His gradibus, vel cuniculis potius, itum
est ad subuertenda fundamenta Ecclesiæ.
Nam compertum est eos, qui defecerunt
à nobis, pacisci solitos cum Dominis secu-
laribus, qui quoquo modo aliquem titulum
vel collationis, vel ius patronatus habere
visi sunt, ac prodere bona Ecclesiæ, & tali
propemodum fraude, scilicet ut priuilegia,
instrumenta, monumenta, regestra, pectoralia,
& similia, quibus Ecclesiastica illa bo-
na antiquitus à Clero possidebantur, tradant
ac prodat suis adulterinis patronis, schisma-
ticis nimirum: à quibus illi vicissim aliquam
pacte fraudis mercedem aut portiunculare re-
cipiant. Exempla nō procul petenda sunt: vi-
dimus in vicina Prussia nostra tale transla-
ctiones nec paruas nec raras. Et ut vñ pro-
feram loco multorū, q̄ egregius fuit olim, q̄
locuples Episcopatus Sambiensis? Quid aut
evenit? Polentarius ille Episcopus Sambien-
sis, oppidulum vñ atq; alterum, & aliquot
villas

villas sibi hæreditarias pactus est de toto
Episcopatu, reliqua omnia, iura, priuilegia,
& possessiones, & prouentus, qui maximi-
erant vel ex solo succine, ut reliqua taceam,
concessit nouitio Domino: ut scilicet vterq;
procreandis liberis, quos nouo Lutherani-
co iure, ex nuptijs iam animo cõceptis, spe-
rabant, Ecclesiasticas opes possent hæredi-
tarias relinquere. Idem exemplum, sed ma-
iori etiàm sacrilegio, vidimus in Episcopa-
tu Pomesaniensi. Verum, quô res ista pro-
cessit? Nunc vterq; Episcopatus re penitus
extinctus est (bonis nimirum omnibus in
cameram confiscatis) nomen tantu residu-
um est, quod nuc gerit Chrysopœius miser,
tam procul à veri Episcopi officio & digni-
tate, q longè destitutus necessario vietu
alendæ familiæ. Fertur quondam Dynastes
eius Prouincię admonitus à quodam catho-
lico nostro, nè, ita temerè sineret opes Ec-
clesiæ à sectarijs Satrapis dilacerari: Ecclæ-
siæ

siæ enim istas facultates esse, non cameræ: il-
lum verò respondisse, si omnia, quæ Eccle-
siæ ordiniq; beatæ virginis eripuisset, resti-
tuere deberet, sibi ad Francicum sagum re-
deundum esse. Rides tu quidem Syluester,
sed verè hæc, an falso dixerim, tuos velim,
qui isthæc inspexisti, oculos testes esse.

SYL. Ità verò est, vt narras. FEL. Quin
nuper admodum, simile quiddam in Episco-
patu Misnenſi factum scimus. Ostolidū ca-
put hominis, si tamen homo dici debet, qui
fraudulenter sua prodidit, se ipsum perdi-
dit. Voluit ille duabus sellis vti, apud Luthe-
ranos altera, altera apud Catholicos, sed sua
ipſe stultitia inter vtramq; supinus corruit.
Qua de retædet plura dicere. Fuit is Episco-
pus paulo ante Dominus Prouiucialis feudi,
iam seruus hæsitat in aliena fraude. Credo si-
milia multa euenisse hoc tempore, non ità
in Polonia nostra, quæ adhuc minus infecta
est & peruersa, vt in Germania tua, quæ quo

I prolapsa

prolapsa sit, orbis Christianus dolet, vos
meritò deplorare debebatis. Duxisti autem
tu mihi quidem in memoriam tantæ cala-
mitatis Ecclesiæ, non possum nō ingenti do-
lore affici, quoties recordor tam immanniū
sacrilegiorū. Vide, quot Episcopatus orna-
tissimi conciderint, in quibus hactenus diui-
nus cultus sedulò peractus est, & sustentati
q̄ plurimi homines docti. Quot enim Episco-
patus, quot Abbatiae, quot collegia Cano-
nicorum, quot coenobia Virginū, & Mo-
nachorum, quot aliæ laudatissimæ fundatio-
nes penitus abolitæ sunt, intra annos qua-
draginta? In tribus enim illis regnis (Da-
nicum dico, & Suedicum, & Noruegia-
num) quot putas saltē Episcopatus ex-
tinctos esse, vt reliqua omittam? SYL.
Certè dubium non est, cum tria regna sint
satis opulenta, quin ad minimum vigin-
ti fuerint: siquidem hactenus regnum nul-
lum reputabatur, nisi Archiepiscopum
haberet,

haberet, & hic sub se septem alios Episco-
pos. FELIX. Ita est. Sed quid de Scotia
dicam, & Anglia, quarum hæc plus, quam
tredecim Episcopatus habuit, illa etiam
non paucos? O D E V M immortalem,
quanta doctorum virorum in his diœce-
sibus copia fuit olim? q̄ multa liberali-
um misarum hospitia? q̄ egregiæ multi-
plicesq; literarum & artium, inprimisq;
sacræ Theologiæ officinæ? At hæc qua-
si de alieno orbe: nostra videamus & do-
mestica. Quot arbitrare Syluester, in
Germania Episcopatus, Abbatias, & alia
collegia interiisse? SYLVE. Ego ne-
scio, si tu nouisti, recita. FELIX. In-
finita multitudo est Syluester, nec enim
tām mihi ista possent esse homini Polo-
no, nec inter Germanos multum ver-
sato cognita, quam tibi: at recensebo ta-
men, præsertim Episcopatus, & ea quidem
fide, qua ego ab ipsis Germanis accepi.

I ij De

De Episcopatu Magdeburgensi ordiar, qui
quo in statu nunc sit, & q̄ catholicus in eo
præsul, non libet dicere: doleo: nihil enim ad
synceritatem & instituta maiorum. De Ca-
nonicis verò eius cathadræ antiquę, hoc no-
uum auditur, quod Augustanæ Babyloni
nomen velint dare suum, atq; cōtinuò vxo-
res ducere, si ex iure Stellionatus eas sibi ca-
nonicales, quas iam possident, liceat in po-
sterum habere hæreditarias. O fides Cano-
nica. Videbas furem, & currebas post eum.
Quid Brandenburgensis, Quid Lebucensis,
Quid Hauelburgensis Episcopatus in Mar-
chia? Quo in statu nunc est Mersburgensis
Episcopatus & Nauburgensis? De altero
potest dici, Lignum vbi cunq; ceciderit, illic
erit: de altero, τὸ μὴν ἐν παρὰ μηρῷ δέ. Nihil certè
aliud de omnibus possum, nisi, ut Græci so-
lent dicere, οἰχούται. Ad Bremensem Archi-
episcopatum venio, de ipso quidem Præsule
nihil attinet, constans enim esse dicitur: de
Prælatis

Prælatis verò & Canonicis varij hominum
sermoncs sunt: vtinam vani, ne quid ab in-
stitutis maiorum alienum ficerint. Huic
Archiepiscopatui suberant Patrum memo-
ria Episcopatus Lubecensis, Slesuicensis,
Hamburgensis, Racenburgensis, Svveri-
nensis: quorum tantum nomina restant am-
plius, ipsa dignitas extincta est, & bona con-
fiscata sunt. Hinc si placet in aquilonem ex-
curram: septima enim Metropolitana sedes
fuit Archiepiscopatus Rigenis, cui talis
Antistes præfuit hactenus, qualis ad interi-
tum necessarius videbatur. Non ignota re-
fero. Hic Archiepiscopus sub metropoli sua
habuit Revalensem, Curiensem, Dorpten-
sem in Liuonia, in Prussia Sambensem, &
Varmiensem, nisi fallor, & Pomesanien-
sem. Ex his omnibus vix vnicus superest
Varmiensis. Hinc ad meridiem vertamus
iter. Quanq̄ Coloniensis Archiepiscopus
per se adhuc authoritate & virtute Coloni-

I iij ensis

ensis Academiæ, hominumq; doctorū atq;
piorum vigilantia persistit incolumis, velu-
ti egregium Catholicæ religionis propu-
gnaculum: sed tamen aliquot suffragati Epi-
scopatus, partim nutant dubitanter, partim
adhuc constantes sunt, ut Leodiensis, Traie-
ctanus & Osnaburgensis. Proximè huic ac-
cedit Moguntina metropolis, cui subiecti
parent Costantiensis, Argentina, Spirensis,
Vormatiensis, Augustanus, Aichstetensis,
& in Saxonia, Hildeshemensis, Badenbur-
gensis, Halberstatensis, Verdensis. Sed q; hi
extenuati, atq; ambesi vicinorum ingluvie
sint, norunt ij, qui miseras querelas frustrâ
iuris administrationem efflagitantium quo-
tidiè audiunt Spiræ. Ità namq; arrosi sunt
isti, vt vix ossibus hæreant: ità vastati, vt in
plerisq; eorum Basilicis ne diuina quidem
liceat peragere sacerdotibus. Treuirensis
verò Episcopatus, quia paucos suffragatos
antistites habet sub se, & vicinitate Belgij
viriliter

viriliter sese hactenus opposuit sectarijs, &
ideo præ cæteris minus afflictus est. Quin &
Salisburgensis Archiepiscopatus, & qui sub
hoc sunt suffraganei, virtute catholici Prin-
cipis Bauarici, huc usq; sunt egregiè defensi.
Quanq; Ratisbonensis ne sic quidem com-
mune malum Germaniæ effugere potuit,
quin vehementer attritus, vix posset sese
Clerumq; suum tueri mediocriter. Omitto
hic familias minorum Pontificū, Abbatum,
Præpositorum, Hospitalensiū, similiūq; :
quorū oppressiones tot sunt ac tante, vt nu-
merum excedant. Penè oblitus fuerā vicini
Episcopi Vratillauensis, qui cum totius Si-
lesiæ Antistes sit, ita tamen violatus esse vi-
detur, vt præter armatos Vngaricos Ma-
thiassos propemodum nihil viuum habe-
at amplius in ouili suo. O quò vadit ani-
ma huius Symmistæ? In cœlum scilicet.
Hęc breuiter de Episcopatibus per quintum
Lutheri Euangelium euersis. Velim autem
cogites

cogites mi Syluester, quantæ facultates,
quantæ opes & copiæ sub ijs fuerint olim, &
nunc direptæ in prophanos usus cesserint:
quam autem faciliter, communedocet pro-
uerbium de auro Tolossano. In Boëmorum
annalibus legitur, de Ioanne eius gentis Re-
ge: quòd is, cum duodecim Apostolorum
argenteas statuas ab altari S. Venceslai auf-
ferri, & in thesauris suis recondi iussisset, cō-
tinuò eadem hora excæcatus sit, nec vñq; vi-
sum recuperauerit. Philosophi scribunt,
eam esse vim & naturam lupinarum pelli-
um, vt si hæ cum ouium pellibus miscean-
tur, has primum absumere & sese mox eti-
am. Exemplum vnum sufficit pro vniuer-
sis. Meminimus Lubecæ omnes Ecclesiæ
thesauros, patinas, calices, ampullas, mon-
strantias, cruces, statuas, & similia argentea
& aurea innumerabilia vasa, diuinis cultibus
dicata, ex Ecclesijs paßim direpta, vnumq;
in locum congregata, speciem præ se tulisse
tantarum

tantarum facultatum, ut ciues Lubecani harum rerum fiducia elati, non dubitarint ingens bellum mouere aduersus Christianum Regem Daniæ. Accidit autem illis, quod de lupinis pellibus dicitur. Cum milites atq; equites in Vrbem accersiuissent, pecunia ex illis, quos dixi, ecclesiasticis thesauris cusa est, sed ea adeò in exiguum conflata summā, ut ne in menstruū stipendium quidem conductis militibus sufficere potuerit. Postea verò ad ærariū ciuitatis itū est, quod infelici ecclesiasticorum thesaurorū contactu, pari celeritate euanuit. Ac indè continuò ad priuatas ciuium opes, belli sumptus deuoluti sunt, quibus Lubecani ità exhausti fuerunt, ita attenuati, ut se inopia omnium rerum viatos Dano dedere propemodū coacti sint. Similia exempla superioribus annis vidi-
mus in Saxonia, in Misnia, in Thuringia, in Hassia, in Palatinatu, in Suevia & passim. Nemo causam aliam querat, nisi quia ad-

K mixtæ

mixtæ fuerint ouinis pellibus lupinę, et vin-
dicata Tolossani auri surreptio. Hoc quidem
mirum non est, sed illud mirandum magis,
quod cum pleræq; nobilium familię videant
intelligentq; eò vergere istā Ecclestastico-
rum bonorū alienationem, vt nō modò hæc
sacrilegia Christianę religioni pernicioſa fu-
tura sint, sed etiam dignitati nobilium. Non
enim res obscura est, quòd opes Ecclesiastice
multas nobiliū familias aluerint, auxerint,
cōseruarint, ad summos honores euixerint.
Quid autem futurū credis, si nobilitatis hæc
prerogatiua adempta fuerit? Quomodo sese
pleriq; nobiles honestè sustentabūt, alienatis
suppressisq; tantis Ecclesiarū opibus? Sunt
vni patri nonnunq; filij complures: in quos si
patrimoniū diuidendū erit, fiet omnino, vt
alicubi ne rusticana quidē casa cū agello pos-
sit sigillatim hæreditas obtingere. In bellū,
inquis, proficiscātur. Non omnes bellatores
natura genuit, nec singulis mox in promptu
est,

est, etiam si idonei videatur, equos, famulos,
& arma, præsente, pecunia comparare. Quæ
nobilitatis conditio sit in Germania, nō satis
noui: in Polonia autem vidi antiquæ stirpis
nobiles ob paupertatem factos esse villanos
aratores. Quanq; arare nobilem, ac tenere
stiuam, ignobile non est per se: sed tamen,
si dignitatem spectes, fortunam illis debe-
mus optare secundiorem. Nec indignum,
si, cum seculo seruire propter tenuitatem
fortunæ non queant, Deo seruant per opu-
lentiam Ecclesiæ. S Y L. Desine obsecro
ò Felix, cum magno dolore ista audio. Et
quanq; istas rapinas Donariorum, bono-
rumq; Ecclesiasticorum alienationes nunq;
probaui, vidi enim infelicem huius institu-
ti euentum fore: sed tamen, crede, mihi Fe-
lix, grauem præbuerunt causam his malis
Prælati vestri, vt taceam, q; turpiter istis
Ecclesiæ bonis abusi sint ad luxum, ad fa-
stum, ad libidines (quæ vitia non fuerunt

K ij tolleranda

tolleranda amplius) quid queso putas cor-
datos homines cogitare, cum videant in Ca-
nonicorum ædibus, in Abbatum monaste-
rijs, in aulis Episcoporum, versari barbari-
cam quandam illiterati (quid illiterati dico?
ipsi enim isti patres ab omni literarum stu-
dio alienissimi sunt) imò pessimè morati fa-
militij turbam? Malunt enim illi in peri-
tum coquum, qui plus palato sapiat, q̄ corde,
aut in alios nugatores & parasitos itipen-
dia effundere, quām in literatum aliquem
aut doctum virum. Idcirkò enim, si vir qui-
spiam doctus, vel in monasterium Abbatis,
vel in aulam Episcopi venit, ludibrio est
Abbatialibus illis vel Episcopalibus gnato-
nibus & thrafonibus. Quiuis enim horum
præfertur, ac maiori in honore est, q̄ litera-
tissimus quisq;. Quo fit, vt vir doctus in Pre-
latorum familitio albo coruo sit rarius.
Memini equidem, atq; hisce oculis meis vi-
di, quosdam Prælatos deridere eos, qui aut
scribendo,

scribendo, aut disputando, aut alio quoquo modo, oppugnare sectariorum hæreses conarentur: ac non dissimulanter præse ferre, hominum leuiū esse atq; ignobilium, quasi gladiatorū seu bestiariorum infamem ac servilem operam esse cum hæreticis in certamen descendere. Memini itidem, qui, ne suos vicinos Lutheranos offenderent, commercia vitare, familiaritatemq; eorum, qui propter Catholicæ fidei defensionē sectaris, exosí sunt: ne scilicet horum inuidia, aliqua ex parte, in ipsos quoq; deriuaretur. Ac si qui tamen sunt, qui eruditis viris delectentur (quanq; hi rari sunt) illi tamen cum audiunt libenter pessima quæq; de aduersarijs dici: tum certè de vitijs Cleri, vel vnum verbum facere est crimen læsæ maiestatis, & adhuc inhærens nota quædam Lutheranæ hæreseos. Quis ingenuus liberaliterq; eruditus, talibus posset Dominis seruire? Interea conqueruntur Prælati, se doctis hominibus

K iij destitui,

destitui, disertos concionatores non habere,
Vicarijs cæterisq; ministris orbari. DEum
immortalem, quanta impudentia isthęc est.
Præsentes fastidiunt, absentes aiunt se desi-
derare. In tales homines ut educentur, ut in-
stituantur, ne teruntium quidem volunt
impendere. Eadementia sunt occoccati, ut
existiment Principum liberalitate, copiaq;
locupletum ciuium, quemadmodū fuit olim
usitatum, Cleri frequentiā suppeditari pos-
se. Cum nuper de tanta inopia sacerdotum
sermo incidiisset, suassissetq; vir non im-
prudens, decere Prælatos, literarios ludos
aperire, sumptus conferre, & hoc conari
vincē, seminariū Cleri ut plantaretur: tum
ex Prælatis quidam, Sufficit dioecesi mea,
quod Dux Prussiæ Academiam erexit, si-
gnificans nimirum nihil minus esse Episco-
porum vel Abbatum, scholas pro iuuentute
instituere. Verum O Felix, alia hęc actas est,
alios hęc mores postulat. Seculares Prin-
cipes

cipes non ideo nunc instituunt Academias,
ut Papatui vestro suppeditent Clerum, sed
ut sibi disertos erudiant concionatores, qui
Abbatias Episcopatusq; vestros non instau-
rare, sed euertere possint. Quod q; multis in
locis hoc factum sit, fiatq; nunc etiam, nos
coram videmus. Mœorum libenter re-
cordor. Memini me legere Græcum car-
men Lypsiæ de vicino Cœnobio cella cō-
positum, nec ita pridem æditum, quod ego
obiter sic verti Latinum.

*Gratum murmur apes, his quondam uiuere cellis
Nouimus, unde pijs copia mellis erat.*

*Ignauum pecus hinc aliena ad pabula fuci,
Venerunt Monachi, bestia, pigra, uorax.*

*Deniq; crabrones his successere maligni,
Qui fucorum & apum dissoluere domos.*

FEL. Carmen sanè non infacetum recitas
Syluester, nec diffiteor, quin in primœua Ec-
clesia, et maior pietas fuerit in Monachis, et
sanctior vitæ disciplina, & discendi studium
ardentius.

ardentius. Nec illud negauerim, quin subse-
cuta secula multos ignauos fucos pro sedulis
Monachis nobis pepererint. Hoc autem
expendas velim tecum Syluester, hæccinè
sit norma reformandæ Ecclesiæ, ut cùm apes
in fucos degenerarint, continuò expedire
videatur, pro fucis crabrones, & mox pro
vtrisq; serpentes reponere: Apud Plutar-
chum & Philosophos legi, ex putrefacto
boue apes nasci, ex cadauere asini vespas &
fucos, ex mortua mula fieri crabrones, ex
putrefacta carne humana serpentes. Non sa-
nè videtur bonus pater familias: qui pro ara-
tore boue, pigrum asinum substituat; atq;
mox pro fœcunda asina, mulam sterilem:
qui deniq; serpentes malit fouere, q; pabuli
aliquid fucis concedere. Quis fructus ex ista
commutatione, aut potius alienatione pro-
latus est? Certè non solū Catholicus Clerus
ea fraude tota penè Germania expulsus est,
ut vix paucis in locis restent vestigia: verum
etiam,

etiam, cum apud vos, & apibus & fucis si-
mul, ista pabula erepta sint, vt nec vefanis
istis vestris crabronibus crapulandi copiam
abunde amplius suppeditare possint: quo de-
mum fit, vt dum maximè Romano Ponti-
fici, & Clero catholico nocere voluistis, vos
ipos vehementer in manifestum exitium
præcipitetis. Exemplo nobis esse poterunt
Bohemici Sacerdotes, quibus hoc post Hus-
si tempora fuit semper sacrosanctum, nihil
eorum facere, quæ communia essent cum
Romanis. Sed quid indè secutum est? Bar-
baries planè infinita, & artiū rerumq; om-
nium optimarum flagitiosa ignorantia, &
paupertas inglorię vitæ miserabilis, vt Cle-
ro Bohemico propemodum nulli homines,
vel ad iudicandum ineptiores, vel ad honestè
agendum, magis barbari, nūc à plerisq; exi-
stimentur. Eadem hæc de Lutheranicarum
Ecclesiarum ministris omnino dici licebit.
Quid enim Lutherano sacerdote illiterati-

L us.

us? Quanta præterea in moribus petulantia
est, quanta proteruitas? De miseria illorum
non possum conqueri, ipsi enim met sibi in-
uitæ paupertatis authores extiterunt. Ete-
nim dum suave iugum Christi, in mediocri-
rerum copia sub Episcopo catholico, ferre
non voluerunt, coguntur nunc seruile iu-
gum Antichristi sustinere, in miseranda
paupertate, sub sæculari Lutheranico ma-
gistratu. S Y L. Verum tu quidem mi Fe-
lix, isthæc recensuisti: quid est autem, quod
adeò facilè à Pontificio grege pleræq; gen-
tes desciscunt? Si apud vos non sola fides
regnum Christi tenet, sed fides per chari-
tatem operans, hoc est, fides viua: qui po-
test fieri, ut vbi sit charitas, non etiā sit
charitatis vinculum, concordia, & frater-
na inter fratres consociatio? Ignoscas ve-
lim mi Felix, loquor quod verum est, non
dissimulo quod falsum: vide quæso con-
fratres tuos maximeq; illos, qui, quod ex
regula

regula charitatis viuere debabant, Canonicī dicuntur, q̄ concordes sint, q̄ sese complectantur fraternalē, q̄ pīs sese inuicem iuuent deuinciantq; studijs. Et vt ordinar de capite: nostinē illum vicinum Chrestologum vestrum? FELIX. Nescio quem velis. SYLVE. Quasi verò ignores, qui condus est, nunc promus vocetur.

FELIX. Iām video, quō respicias: sed quid in eo culpas tandem? SYLVE. Ego verò nihil sanè admodum, nisi quod & lippis & tonforibus notum est. Defraterna enim sua erga suos confratres syncretē dilectos charitate quod requiris tenacius vinculum: Ecce Pleonasmus, & nemo hie bardus, & ecce iterum sagenæ, & hic nullus, magnus, malus piscis, & ecce deniq; tribuli, quorum semper quartus aculeus erectus in digitum: quin etiām sara pinguis inter postes ianuamq; retenta, quæ facit spem, non saram se,

L ij sed

sed soram forè. Nugæ istæ sunt, & ad nasadas
vinarias Vngarorum relegandæ: ex harum
enim sentina hausit (ex dolis debebam di-
cere) præclara ista consilia, è quibus de cœlo
penderet hæc aurea cathena Homeri:

Cernere nigra potes, sed candida nulla uidere,

Tu bene falso alijs, nil nisi dulce tibi.

Mars calcas bederam, ruscum sustollis & algam,

Tu Mars uix porcum fartis alisp̄ tuum.

Noctua nocte uolat, uolucris bene tutat cnebris

Quo magis obscura est, hoc magis illa nocet.

Hoc enim è Parnasso riuulos illos eduxit, in
castella promptuaria, è quibus tandem mi-
rificè rigare solent prata Quadorū. Idq; bi-
fariam quidem & quodam naturæ miracu-
lo. Ferunt enim (Strabo author est) fontem
quendam esse Dodonæum, in quem si faces
extinctæ immergantur, eas accendi: sin ac-
cessæ, eas extingui. Ità nimirum hic ex eo-
dem oris fonte, & calidum nouit & frigi-
dum efflare. Exemplis hîc parcè vti, ipsede-
cor

cor postulat. Qualem vero tu, mi Felix, cen-
ses eum, qui si apud confratres suos est, in re-
ligionis causa, quod negas, negat, quod ait,
ait: vicissimq; eadem arte apud sectarios: &
vtrumq; hoc, ea libripendis æstimatione, vt
hue semper magis, q illuc propendeat: eum
tamen nihilo minus velit, q quod verè est,
aliqua specie videri. Adeoq; nimirum.

Nulla fides fronti, celant præcordia fraudem,
Nullaq; iudicium ianua cordis habet.

Res ipsa fidē excedit hominum. Isti namq;
cum apud eos sunt, quos esse catholicos ar-
bitrantur, tanta oris facundia differunt de
veritate religionis catholicæ, de fraude no-
uorum dogmatum, de vi potentiaq; hære-
ticorum, alijsq; generis eiusdem quæstioni-
bus, vt credas cœlitus illos loqui. Sed quid fit
postea? Non multis opus est verbis, ipse tu
te nosti mi Felix. Confratres si quos ha-
bent, ità tractant, vt viaticū malint, q Bre-
uiarium meditari: contraq; si confratres de-

L iij sunt,

sunt, dant operā, ne vlli eupiant adesse, multò minus, vt velint eos vltrò accersere. Interē Ecclesiæ bona clām surripiunt, religio-
nem antiquam, ipsumq; adeò DEVM pro-
dunt aduersarijs. Quamuis aliquandò & vo-
ce & literis se, quasi rem agant seriò, osten-
tent : de quibus dixit Principum non mini-
mus, istas quidem figurās colore albo effin-
gi, rem vèrò ipsam figuris nigris. Hæc sanè
simulandi dissimulandiq; versutia, religio-
nem omnem reddit ambiguam, homines
impellit ad desperationē, ad Epicurismum,
& cum eò prolapsi sint, cōsequitur demum,
eos nullius mendacij pudere : nullius pigere
flagitij aut sceleris. Heu Felix, quanta ego
tibi hīc possem & q̄ inaudita facinora recen-
sere, si ità animo vellem indulgere, q̄ lingua
currit promptè. Quantus enim campus,
non dicam fenestra, hīc aperi iretur, si de sum-
ma fratrum inter ipsos perfidia vellem di-
cere : vt infinita tāceam, vnum hoc satis fla-
gitij

gitij habet atq; perfidiæ, quod cum vndiq;
res Ecclesiæ oppugnantur, tanta tamen sit
confratrū inter ipsos & inuidia & maleuo-
lentia, vt sæpè ipsum Ecclesiæ statum euer-
tient, q; vel condonare quipiam confra-
tri, si forte deliquerit, vel illius sanis consilijs
vti, ne tu altum sapere videâre. Hinc ani-
maduertimus illorum plerosq;, saltem ut
confratribus ægrè faciant, incutiantq; ter-
rorem, colludere cum sectarijs, cum illis fa-
miliariter viuere, ad mensam accersere,
cum illis potare, pergræcari, & quiduis ali-
ud eiusmodi facere potius, q; vlla in re se se
comem fidumq; præbere & syncerum ami-
cum collegis, q; vlla manu auxiliari, ruen-
tem Ecclesiam fulcire, collapsam erigere
conari. Imò quod execrabilius est, cum
horribilem illum ruentis Ecclesiæ frago-
rem audiunt, tum illi conuocato sui gre-
gis sodalitio, conuiua adornant, pocu-
lis certant, & luxu, cantu, tympanorumq;
sonitu

sonitu sic curant omnia perstrepere, ne vllus
collabantis Ecclesiæ fragor ab ipsis vel audi-
ri possit, vel animaduerti. Hæc illustrari ex-
emplis forsitan facilius, q̄ plerisq; gratum.
Meminimus quendam ex Canonicorum
grege dicere, cum eius cupiditati cōfratrum
vnus & alter obstitisset, malle Capitulum in
pedes conuerti, vt ruente Ecclesia ad fugam
paratores sint, q̄ ad fulciendas Ecclesiæ rui-
nas. Ab hoc nō dissimile est, quod in plerisq;
Ecclesiarum cathedris, quibus non nisi no-
biles fumosas illas suas imagines ostentant
atq; iactitant, neminem patiantur virum
doctum in suo consortio, quasi si homines
literati intalibus capitulis locum haberent,
nec ignauiae suæ, nec stultæ nobilitatis op-
nioni ac peruersæ, satis loci futurum. Cre-
dunt enim isti, reliquos omnes homines,
etiam si virtutis eruditionisq; commenda-
tione celeberrimi habeantur, seruorum ta-
men hos loco non nobilium habendos esse.

Ex

Ex quo hæc duo consecutæ videmus, prius,
quod in decem aulis Episcopilibus, ne vnum
quidem reperias doctum aliquem & peri-
tum theologum: alterum, quod in cathe-
dralibus istis Ecclesijs soli regnent agrestes
Fauni, salacesq; illi Satyri, atq; impuri Syl-
vani & Centauri: qui quasi ex lege constitu-
tum habent, ne ferant in collegio suo vllum
doctorem, aut theologum. Putant enim di-
uinitus sibi deberi, quicquid in Ecclesijs lu-
crosum est, quiequid laboriosum Vicarijs.
Fructus ergo, opesq;, ac redditus Ecclesia-
rum ipsi percipiunt, ipsi pro arbitratu suo
moderantur, dispensant, eisq; fruuntur: Dei
verò cultum, ceteraq; pietatis officia, ut di-
vina peragere, sacramenta administrare, do-
cere populum, Vicarijs committunt, hoc
est, hominibus nobilitatis titulo minimè
tumentibus. Ex quo quidem nobilium stu-
dio, & seruitio ignobilium Vicariorum,
magnum Principem aliquandò sic ratioci-

M nantem

nantem audiui. Optimo iure, inquit, nobilibus debentur officia nobiliora. Canonici quidem nobilibus decernitur rerum mundanarum, vel secularium administratio : ignobilibus vero Vicarijs, rerum diuinarum ac spiritualium munera committuntur. Quamobrem necesse est, iudicio Canonicorum, nobiliorem esse administrationem rerum secularium, quam diuinarum : quod harum cura vilibus sacrificialis committi solet, illarum vero nobilibus Praelatis. Quid tibi mi Felix videtur hic Dialecticus Princeps : satisne iuxta ~~αράλυσις~~ Aristotelis : opinor equidem : sed audi, quid adiecerit praeterea Si, inquit, nobiliores Canonici aut Praelati secularium rerum iura sibi potius, quam ignobilibus, tractanda iudicant : quin necessario sequitur, has mundanas res longe preferri diuinis : quandoquidem has alijs committunt vilioribus personis,

personis, illas autem sibi tanq; dignioribus
reseruant. Quid aliud hoc est, inquit idem
Princeps, q; si palam fateantur Canonici no-
biles, se instar Epicureorum, voluptatem
diuitiasq; præsentis vitæ pro DEO cole-
re, cœlestemq; verum DEVM miseris
illis, & vilibus Vicarijs colendum relin-
quere? Acerbè quidem hic Princeps, at
profectò, si licet verum dicere, rem acu-
tetigit. An secus res ista habet mi Felix,
q; ille dixit? Rem diuinam appellatis, &
tremenda DEI mysteria, missam. Si er-
gò nobilioribus nobiliora munera admi-
nistranda sunt, cur nobiles Canonici ve-
stri hæc ista mysteria atq; rem diuinam
indoctis vilibusq; sacrificulis obtrudunt:
atq; interea sibi sumunt iuris dicundi mu-
nus, & venandi studium, ac si quæ alia sunt
generis eiusdem voluptuaria & amocna.
Num arbitrarè omnium populorum ocu-
los ità cæcutire, vt hæc, q; peruersa sint,

M ij videre

videre non queant: Quid quæso sentiat ine-
rudita multitudo de sacrificio Missæ vestræ,
de ceremonijs, de quotidiano cultu diuino,
de munere predicandi Euangelij, de officio
administrandorum sacramentorum, cū hæc
omnia nobiliores Canonici ac Prælati, tanq;
nullius momenti sint, defugiant, nec suæ di-
gnitatis esse, isthæc attingere, palam præse-
ferant: Cumq; vicissim id significant nobi-
lium munus esse, ut helluentur, ut pergræ-
centur, ut scortentur, ut lupanaria domi-
alant, ut quæstum turpisimum exerceant,
vndè sit, quo voluptatibus, quo aleæ, quo li-
bidini, quo fastui sumptus possint & alimen-
ta suppeditari: Hæc ego mi Felix, non ideo
recensem, quod verè nobilitati non existimé
deberi aliquid prærogatiæ cōcedi: sed quod
indignissimum est, illos fastidire saecula sancta
illa DEI mysteria, sacramentorumq; ad-
ministrationes, atq; in primis docēdi Euan-
gelij officium. Hæc etenim cum nobilissima
DEI

DEI munera fint in Ecclesia, nobiles personæ potissimum ea sibi administranda atq;
dispensanda præ alijs vendicare debebant.
Quid verò nunc fit? planè contrarium. Quid
autem de ista personarū discretionē dicturus
est iudex ille minimè corruptus, in vltimo
iudicio? Ecquid ille hoc modo? Quoniam tu
Pr̄positus, tu Decanus, tu Canonicus fuisti,
tu opinione nobilitatis sublimiora in Eccle-
sia cathedrali occupasti subsellia: tu etiam
mundanas Ecclesiæ opes, vt tibi essent co-
piosa volupratū instrumenta, administran-
das suscepisti, cultum vero diuinum cæteraq;
Ecclesiæ sacramenta Vicarijs tuis commen-
dasti: eamne igitur ob causam tibi tuiq; simi-
libus regnum Cœlorum credidisti deberi?
Hæc ista Canonicorū atq; Prælatorum per-
niciosa vanitas in proverbiū populi abiit.
Quia enim cum Canonicī constituant Vi-
carios, qui pro ipsis in Ecclesia Deū colant:
necessariū quoq; vt Vicarij pro iisdem suis

M iij Canonicis

Canonicis in cœlis æterna vita fruantur: vi-
cissimq; cū Canonici pro suis Vicarijs om-
ni genere voluptatis ac libidinis in terris de-
funghi soleant, necesse erit vt pro ijsdem suis
Vicarijs in inferno tantorum criminum
pœnas dependat. Quid putas mi Felix, istos
homines cogitare? Evidem nihil reperio
aliud, nisi quod somnient, sibi summo iure
licere, quod libeat: atq; ex eo canone, ex
quo nomen adepti sunt, vt Canonici vo-
centur, recte fieri, si scortentur, si helluen-
tur, si Plutum domi current, diuinum cul-
tum in Ecclesijs abijciant, si vbiq; id agant,
quod Principi huius mundi placeat, &
quod Deo saluatori displiceat, nusq; non te-
merè machinetur: interea autē Ecclesiæ ne-
gocia, labores q; et officia, quæ ad curā domi-
nici gregis, ad salutēq; Christiani populi per-
tinebat, cōmittere ijs, quos loco vilissimo-
rū mancipiorū habent. O reuerendi Patres,
vel potius ò feroce Satrapæ, itane vobis ex
libidine

libidine vestra iudicē Christū imaginamini?
Hæccinè est causa, cur vobis Ecclesiastica be-
neficia expetenda existimatis. Idcirconè tot
tantasq; Ecclesiæ opes dederunt maiores no-
stri. Non equidem arbitror. Si nullus apud
DEVM, præsertim in causa fidei, respectus
est, quæ causa obtendi potest, ob quam secu-
laria potius Ecclesiæ bona administranda
vobis, quàm peragenda diuina mysteria?
Cum si hæc nobiliora sint, nobilibus cer-
tè personis potius congruebant, quàm il-
la terrena, quæ sunt omnium hominum
iudicio ignobiliora. Nobilitatis vel maxi-
mè olim putabatur esse, Missæ sacrificiū
summa deuotione celebrare, ad populum
concionari, errores hæreticorum refellere,
fidem asserere catholicæ Ecclesiæ, bonos
mores honestaq; opera docere populum,
non solum doctrina, sed etiam bono exem-
pto vitæ, veræq; nobilitatis documento.
Eamq; ob causam videmus, vt quisq; fuerit
nobiliore

nobiliorē domo natus, tantò nobilius aliquod, excellentiusq; officiū dignitatis obtinuerit in Ecclesia. Hinc enim Barones, hinc Comites, hinc Principes, imò Reges etiā appetiuerunt in Ecclesia munera illa in primis ardua, Scholasticen, Decanatus, Præposituras, Episcopatus, similiaq; generis eiusdem. Quæ munera, si officium spectes, non quæstum, eò potissimū directa sunt, ut Deo suus cultus diuinus semper præstetur, & populo æterna salus. Quò autem ea nobilium studia deflexerunt: eò scilicet, cum ipsi & litteras, & doctrinā, morumq; integritatem oderint, affectentq; nihilominus primos ac cubitus in cōsessu, summosq; in Ecclesia gradi: ut nullos homines magis, q; qui his rebus gerēdis idonei sunt, literatos videlicet et doctos, morumq; sinceritate commendatos contemnant, persequantur, atq; sublatos ē medio connitantur. Non prorsus ineptè nuper quidam, cū uno aut altero verbo studia istorum

istorum hominum vellet exprimere, dixit,
isti hominum generi innatum videri, si lib-
rum in mensa vel in scamno eruditū vide-
ant, vt se putent ignē infernalem, si doctum
virum ac probum, cōscientiæ suæ malæ car-
nificem cernere: si deniq; spem audiant pro-
poni reformandi cleri, vt præ seferant, inte-
ritum suum se metuere. Adeo enim his pro-
literis fastus est, pro honesta sanctioris vitæ,
deuotaq; conuersatione, centaurica barba-
ries, pro munere Ecclesiastico fideliter obe-
undo, sylvestris venatio rerumq; tempora-
lium fastuosa administratio, pro ieunio,
helluatio diurna atq; nocturna, pro sacerdo-
tali castitate, multorum scortorū inquina-
menta, pro iustitia subditis administra, -
tyrannica oppressio pauperū sacerdotum,
ac rusticorū, pro fortitudine animi, qua Ec-
clesiæ iura possessionesq; defendi debebant,
blande hæreticorū conuersationes atq; com-
municatæ familiaritates, deniq; vt finem fa-

N ciam,

ciam, pro horarum canonicarum breuiario, lusorum taxillorum alea, pro sancto choro pollutus thorus, pro Christo fiscus, pro Ecclesia taberna, pro Deo Sathanas, pro cœlo sempiterni gaudij, gehenna æterni supplicij. Ex his sanè maioris Cleri peruersis studijs, vide mi Felix, quid effectum sit: nimirum nulla cura catholici Cleri per sectarios oppressi attingit Prælatos, doctrinam ipsi contemnunt, doctos homines aspernantur, ignatos in consilium accersunt, ex Lutheranici Cancellarij consilio similiūmq; pendent Episcopi atq; Prælati: vndē tandem fit, ut facere cum aduersarijs præsertim principalioribus malint, & conniuere ad hærefes, q vel ullum inter vitulos & tauros pingues, stabularium offendere. Ali quantam ego hīc syluam præteruehor: è qua si in posterum voles nouæ disputationis materiam sumi, abundè suppeditare potero. F E L I X. Desinas Sylvester,

uester, quæso : non enim est hoc enume-
rare, sed lacerare vulnera Ecclesiæ. At-
qui si isthæc ità dicis Syluester, vt in istis
vitijs concludas omnes, excipias nemini-
nem, profectò, vt pace dicam tua, isthæc
commemoratio tua nefaria est. Collu-
stres velim hoc Poloniæ regnum nostrum,
quàm multos & innocentia vitæ, & ex-
cellentia doctrinæ clarissimos Antistites
(vt de alijs taceam) tibi possim oppone-
re. Quid enim reprehendere potes, siue
eruditionem spectes, siue integritatem vi-
tæ in Nicolao Archiepiscopo Gnesnensi,
in Philippo Episcopo Cracouiensi: vterq;
eertè ab istis vitijs omnibus, quæ tu enu-
merasti, immunis est. Quid culpas in Vil-
nensi Episcopo Valeriano: Quid in Sta-
nislao Hosio Episcopo Varmiensi: an
his eruditionem poteris, aut vitæ sanctita-
tem adimere, aut eorum quicquam, quæ
tu longa serie recensuisti, iure obijcere:

N ij De

Dedomesticis loquar verecundius : in Germaniam tuam migremus. Quid est, quod taxes in Treuerensi, & quem nuper creatum audiuius, Salisburgensi Archiepiscopis? Num studium pietatis his deest? num conatus reformati Cleri, et extirpandi hæreses? Quid illa duo lumina Germaniæ, Michael Mersburgensis, et Iulius Neuburgensis Episcopi, quorum alter nuper piè defunctus est, alter subinde expectat aduentum Domini? Evidem, quid in his, si pietatem, si innocentiam, si castimoniā desideres, si eruditionem, si eloquentiā species, ceterasq; dotes Episcopo dignas, nihil video, quod meritò possis requirere. Cōsimiles tibi possem plures recensere non Antistites solum, sed & Canonicos & Abbates, & Prælatos alios. Quam obrem ita te decebat Syluester, generatim isthæc dicere de omnibus, ut tamen ex horum numero singulos exciperes. SYL. Scis tu quidem me haud paulo acutiorem esse in Dialecticis

Dialecticis præceptis (quæ ex Petro Hispano frustra conabor Cracoviæ discere) q̄ accuratè solitum atomos cōflectari in copioso & puluerulento aëre. At verò, ne tamē non suam cuiq; velim tribuisse videri innocentię laudem, sic à me hæc dicta accipias, vt nullos accusem eorum, quæ recensui, criminū, nisi hos, qui illis domi cooperti sunt, foris inquietati, manifestò conspiciuntur. F E L. Fuit isthæc correctio Syluester necessaria. Nam tametsi (prohdolor) magna ex parte sic est, vt tudixisti: tamen nunq̄ dubitaui, quin Deus sibi reseruarit aliquot pios passim in ipsis Sodomis & Gomorris. Sed putasne tu Syluester similium flagitorum immunes esse tuos Euangelicos? S Y L. Ego verò non. F E L. Nisi metueré diutius extractum iri hunc sermonem, q̄ ut cæna paretur, liberet sanè hīc aliquantulum per tuam Germaniam discurrere: etiam si domi apud nos in Polonia exemplis similibus abundemus. Obie-

N iiij cisti

cisti tu nostris Syluester maleuolam infide-
lemq; spiritualium nostrorum hominum
cōuersationem, quam ego, si vellem, dupli-
catam possem inter vestrates ostēdere, mul-
toq; maiore, præsertim inter Ecclesiarum
vestrarū gubernatores. Dedissidijs dogma-
tum opinionumq; contrariarū, quarū apud
vos nullius finis est, nihil dicam: sed eas per-
stringā duntaxat, quæ ex dissensione Euan-
gelij vestri discordiæ natæ sint inter omnes
ordines. Repetas, quæso, tempora Cæs. Ma-
ximiliani in Germania, & Regis Sigismun-
dī nostri in Polonia, & cōsidera ipse tecum,
qualeset quantę cōcordię vtrobiq; in vtroq;
regno fuerint. Quis Principū ausus fuit, quæ
liberarum ciuitatū conata est sese opponere
Imperatori suo? Quis Princeps vicinum
Principem? Quæ ciuitas vicinam ciuitatem
tam infestis armis vnq; inuasit, quemadmo-
dum fieri consueuit prolatu Euangilio Lu-
theri? Qua autē fide sese populi, procereſq;
Germaniæ

Germaniæ complexentur mutuò : non ob-
scure loquuntur infinitæ multarum seditio-
num, bellorū, latrociniorum conscriptæ hi-
storię. Grandiora recensebo, relinquam mi-
nora. Qua ex causa, intestinis seditionibus
Helvetiorū pagi in mutua viscera sequierunt.
Quid in Germania rusticorū tumultus con-
citatuit: quod malum etiā in vicinā Prussi-
am nostram irrupt. Vnde exortū est Vuir-
tenbergense bellum : Et quæ indē mox se-
cuta est, Anabaptistarū seditio in Vestphalia
& Holandia: itemq; quod ex eadē hac mali-
tia exarsit inter maritimā ciuitates & Da-
nos bellum exitiale : Quam causam habu-
it etiā Prussiacum bellum cum Polonis,
cuius primò mentionem fieri oportuit :
profectò non aliam, q; quod ex altera parte
noui Euangelij feruor intumuerat, ex al-
tera oblata occasio nō repudiabatur. Qualis
etiam, & quam odiosa de Episcopatu Ca-
minensi exacerbata cōtentio in Pomerania.

Qualis

Qualis non ità multò post, & q̄ foeda de occu-
patione cœnobij Doberle in Misnia? Pla-
centale hoc quidem bellū fuit, sed non omni-
bus gaudium Paschale. **Q**uid in Megalabur-
go de Episcopatu Suerinensi inter germanos
fratres? an nihil putas etiā ad perfidiæ
crimen pertinere, dum socijs Augustanæ
Confessionis, Noricis, Augustanis, & simili-
bus, prætextu libertatis Germaniæ, arma
inferuntur? **Q**uid quod non ità multò post
idem ij male sociati fratres, sese mutuis cæ-
dibus confecerunt? nihil hīc interim dico de
tanta Dynastarū inter ipsos diffidentia, nihil
de vrbī liberalium inter sese mutuis odijs,
quanta ante hāc nunq̄ in Germanis cōperta
sunt hominibus. **Q**uid de subsecutis bellis
commemorem tam varijs, tam pernitiosis?
An non vicinus contra vicinum, frater con-
tra fratrem? agnati contra agnatos? vrbs
contra urbem? Et quod peius adhuc est, ma-
net hoc malū alta mense repostum, nec quæ
tum

tum vulnera inficta sunt, curata sunt penitus, sed, tanque suppurata vlcera ex diuersis animorum morbis, sic adhuc tument, sic serpunt, vt nihil desiderent amplius, quia ferro aperiri. Quod regnum haetenus in Europa magis floruit, tum ciuium inter ipsos concordia, tum erga Regem obedientia subditorum, quia Regnum Galliarum? Iam vero postque Caluinus in illud Regnum Lutheri intulit Euangelium, quid euenit? Omne genus discordiarum inter ciues, & inter Proceres omnis perfidia omnis exulceratio animorum: resque; omnino speget eò, vt eandem videas Babylonem breui extructum iri in Gallijs, quæ iam pridem extrui cœpit in Germania. An non idem hoc discordiæ malum iam multos annos vexat Britanniam? vnde etiam iam in Scotiam irrepisit. Nonne in hac Polonia nostra eadem dissensionum semina frutescunt, idque; non uno in loco, sed etiam in diuersis Regni partibus? Recordor

O ego

ego qualis status fuerit tempore Regis Sigismundi in hac nostra Polonia, cum adhuc Euangelium Lutheri minus apud nos, q̄ nunc, increbuisset. Si quid mei iudicij est, aureum fuit tunc seculum, nunc luteum ac ferreum videtur esse. Cum sedebant proceres regni in Concilio, concordes sententias dicebant, factionū nomina ignorabantur, erat suus locus & honor Clero, & suus cuiq; ciuili ordini status integer. Si quid autem cōtentionis erat vel magnatiū inter ipsos, vel inter nobiles, vel inter sacerdotes & spirituales personas, iure legum certabatur, non vi, non factione, non tumultu. Nimirum, quia vinculum concordiae, fuit salua religio, vna fides, vnuſ DEVS, vnuſ Rex. Nunc autem quid fiat, videmus. Quid enim in Lituania proceres nunc magis student, q̄ vt in diuerſas diuisi partes, aliud deſeſuſq;, aliud de Polonis cogitent, ac demum vndiq; discordijs laborent? Quid in Polonia? an nō idem ma-

lum

lum multò cepit sequire vehementius. Vnde
idiam conseutum videmus, vt tot sint fa-
ctiones passim in Polonia, in Prussia, in Lit-
uania (Russiam excipio & Mazouiam, quæ
adhuc aliquantò accuratius vitat Germaniæ
Prophetas) quot passim familiæ nobiliū, &
domus ciuium reperiuntur. SYL. Discor-
diæ sunt nunc cōmune malum vbiq; nec tām
ex religionis negotio natę, q;cōcitatę aliquo
infausto cœlestium syderum positu. FEL.
Non Deo acceptum referas, mi Syluester,
quod hominum culpa temeritateq; cōmit-
titur. DEVS author cōcordiæ est, vt inquit
Apostolus: et, vt Psalmistes, DEVS iniqui-
tatem volens non est. Hæreticorum fraus
in hominibus literatis, & studium noui-
tatis in rudi populo hanc dissensionum
lernam orbi Christiano inuexit. Dic
quæso mi Syluester, quæ Prouincia, aut
vrbs in Germania recepit Lutheri Euan-
gelium, citra tumultum, ac seditionem?

O . ij Norin-

Norinbergam fortasse excepéris, vix vil-
lam aliam urbem præterea. In Dania scimus
& in Suetia crudeles extitisse et pernicioſas
cōſpirationes ex diſſidio religionis quidem
ortas, ſed conuerſas in reipub. miſerabiles
clades. Vnde in Britanniā tot ſubindē emer-
ſerunt, & tam variæ factiōnes, niſi ex diſſo-
luto vinculo Christianæ religionis? Ea
namq; quoties illo in regno mutata eſt (mu-
tata autem eſt ſæpius intra paucos annos)
toties etiām facte ſunt eius reipub. mutatio-
nes calamitosæ. An non idem nunc in Scotia
audimus fieri? An nō in Gallijs idem malum
iam quater experti ſumus? Omnes in quieti,
rerumq; nouarū ſtudioſi emendandæ re-
ligionis curam prætexunt: interea quid illi
aliud, q; vt ſub tali obtentu non modò Eccle-
ſiaſticas opes ſpolient, ac ſibi vendicent: ſed
etiām, vt alter alterius dignitati inſidietur,
honorem præripiat & locum, aliena occu-
pet, amplificet ſua, & quos oderit, eadem
occeſione

occasione opprimat, si possit, vel quoquo
modo debilitet, ne obstet in futurum? Ipse-
met hiscè oculis meis, quale hoc sit, in ciui-
tate Gedanensi corām vidi, cum Sigismundus
Rex de ducibus factæ seditionis suppli-
cium sumeret. Euangelij causam obtende-
bant homines, qui sua aut decoxerant pro-
digiose, aut ob ignauiam, rerum copia desti-
tuebantur: & vt imperitā multitudinē con-
citarent, hoc Euangelij caput esse dicebant,
omnes ciues fratres esse, qui æqualia habe-
ant, nemo pluris sit, nemo minoris, q̄ alius,
sed vt æqualitas sit inter omnes. Nec tu
ignoras Syluester, quo impetu istud Euan-
geliū Lutheri, etiām inuito, Principe tuo,
in Marchiā penetrarit. Sed tibi isthæc sunt,
q̄ mihi, notiora. SYL. Nō eo inficias, quin
itā sit, vt dicis. Nusq̄ penè Euāgelij doctrina
recepta establsq; tumultu ac seditione. Quo-
modo enim sine tumultu Papistica Idolola-
tria expugnari potuit, & introduci Euan-

O iij gelium?

gelium: Non enim secus potuit, quin corruptio præcederet generationem. Gesta Apostolorum legimus, minimè dubitantes, duce Spiritu Sancto, omnia illa & cœpta esse & confecta. Quam multis autem in locis excitati tumultus sunt ab Apostolis? Quid etiam magis obiectum Apostolis, horumque discipulis est, quamquod Reip. tranquillitatē perturbaret, seditione populū cōmouerent, veterē religione tollerent, inueherent nouā: FE. Longe alia ratio est, Syluester, in Apostolis Christi alia in pseudoprophetis Sathanæ. Abolere antiqua, & instaurare noua, aliquando licitum est, sed nō semper tamē, nec cuilibet licitum. Apostoli missi fuerant ut Christo regi, totiusque orbis terrarum nuper declarato hæredi possessionem acciperent. Idecirco, quoniā huic accipiendę possessioni obstubat due religiones antiquę, Iudaea atque Getilis: quā utrāq; ante corrumpi, quam noua generaretur, oportebat. At enim uero plane seditiosum hoc fuisse

isset conari, si id quispiā tentasset priuata au-
thoritate efficere. Nā tametsi vitiosa religio
diuinæ ordinationi aduersatur: ipse tamen
magistratus, qui illā tuetur, ordinatio diuina
est. Eamq; ob causam, qui potestati resistit,
diuinę ordinationi resisterē iudicatur. Quod
aut̄ Apostoli huic legi nō parabant, alia causa
fuit, quā D. Petrus explicauit, cū inquit, Deo
magis obediendū, quā hominibus. Deus ius-
sit idola tolli, iudaicā voluit nō vterius, quā
ad Ioannē durare. Hui⁹ igitur sublimiori le-
gi, cæteras leges inferiores cedere decebat.
At quo modo, inquis, cognosci potuit, Dei
esse legē, Ethnicā religionē tolli debere, an-
tiquari Iudaicū, Christianā vero instaurari?
Non alio modo potuit cognosci, nisi quod
Deus ipsemē admirādis quibusdā operibus,
quę ab Apostolis effecta sunt, testificatus est,
hos suos legatos esse, et quā afferāt doctrinā,
suū verbū esse, suā legē, suū Euangeliū, cuius
īperio Iudaica politia cedere, cuiusq; efficacia
deleri

deleri debeat omnis idololatria gentilis. Lutherani autem, cum resistunt sublimioribus potestatibus, Romano Pontifici, & Rom: Cæsari, nouamq; introducunt religionem, explosa veteri, inuitis sublimioribus magistris: nonne optimo iure ab his Pseudo prophetis requiri mus, qua authoritate talia machinentur? S Y L. An dubitas? Authoritate diuina simpliciter. FEL. Quis autem istud dicit? S Y L. Lutherus. FEL. Qui testes sunt? S Y L. Lutherani. FEL. Qui iudices? SYL. Ijdem. FEL. Profectò mi Syluester, quòd pace dixerim tua, mihi fidem non fecerint: nam si Lutherani nos sibi volunt credere, quòd ea, quæ hactenus magnis tumultibus nouarint, id se authoritatē diuina facere: illud necessarium erit, ut diuina miracula operetur, eaq; tanq; legitima documenta diuinæ vocationis suæ producant. Sin autem id non fecerint, nihil certius de eis asseri poterit, q; quòd homines sedditio

ditiosi sint, quia sublimioribus potestatibus
resistunt, & perniciosi nouatores, quia anti-
quam religionem opprimunt, quæ germana
est, & obtrudunt nouam, quæ adulterina.

S Y L. Per istos, quos dixisti tumultus, non
ipsa religio fauciatur, sed refecatur abusus.

F E L. At verò mi Syluester, longè lateq;
debet ab ipsa re abusus discerni: cum Luthe-
rani prætextu abusus, antiquę religionis nēc
vllum vestigium relinqui patientur. Nec
vero placet nunc accuratius disceptare te-
cum: sed de hoc conferimus inter nos, Papi-
starumne, an Lutheranorū vitia grandio-
ra sint, cum vtrobiq; esse non inficiemur. Si
is Euangelij sensus, quem vos profertis, or-
thodoxus esset & legitimus, de vitiorū pre-
rogatiua, crede mihi, nullū foret certamen:
siquidē boni, maliuè mores propriè ad per-
sonas pertineant, nihil ad doctrinam Euan-
gelij, vicissimq; doctrina articulos fidei re-
spiciat, non attingat mores personarum.

P Quamobrem,

Quamobrem, mi Syluester, frustra nos di-
gladiamur, utrius partis vita impurior sit,
cum nisi doctrina Euangeli, quæ regula pu-
rioris vitæ est, prius emendetur, & correcta
sit, ut ad hanc regulam correcta mores, non
ad mores correctos regula corrigi possit.
SYL. Scio Felix, non Lesbium hic cano-
nem, qui ad quidvis flecti queat, sed Aman-
tinū, qui sui similis sit semper, esse oportere.
At videris tu mihi id non videre, quod vel
in primis considerandum erat, si modò nobis
vlla spes restaret huius mali corrigendi. FE.
Quid illud sit, quod me dicis nō videre, cupio
situ tam lynceus es, te monstrante, cernere.
SYL. Nisi vererer Felix, iam tempus cœ-
nē imminere, pauca saltem, ut hoc colloqui-
um concluderemus, adjicerem Epilogi lo-
co. FEL. Si quid voles, poteris: semihora
adhuc restat ad cœnam. SYL. Credis nè,
mi Felix, hisce moribus Christianorum
stantibus, Christianum orbem amplius sta-
re posse:

re posse? FEL. Ego verò non arbitror:
nam in tanta hominū perfidia, intantis Prin-
cipum omniumq; statuum discordijs, in tam
pernitiosa dogmatum Christianorū dissen-
sione velle DEVM, qui author concordiæ
est & pacis, habitare, non est verisimile: cum
ipsemet Dominus affirmet regnū in se diui-
sum desolari oportere. SYL. Rectè dicis,
nec certius aliquid à quoq; dici potest. Qua-
propter nisi maturè huic tam exitioso malo
occursum fuerit, perire Christianismum in
orbe terrarū, necesse est: FEL. Quomodo
occurretur autem? SYL. Nulla alia via in
rerum natura est, nisi per remediū generalis
Concilij: FEL. Laudo, atq; vtinā omnes
Lutherani idem sentiant. Credo aut te Syl-
vester, non ignorare: nunc denuò Tridenti
Conciliū indictū à Pio III. Cuius authorita-
tem si volent Germani tui nō spernere, pote-
runt, quam tu optas, citra vllā difficultatem
& vitæ & doctrinæ emendationē obstinere.

P ij SYL.

SYL. Erras ò Felix, & quidem toto cœlo
erras. Putasne Lutheranos vniuersè omnes,
vbi cunq; gentium illi sint (sunt autem nunc
fermè vbiq;) tam iudicij rationisq; expertes
esse, tamq; vœcordes aut insanos, qui velint
ideo venire Tridentum, ut sententiam audi-
ant sue religionis condemnatoriam recitari
ex Decretis anterioris Tridentini Concilij.
Si ita sentis Felix, fateare tenon nosse Lu-
theranos. Alterutru è duobus necessarium
esset, si tua isthæc sententia haberet locum,
Lutheranos aut sponte sua fateri se suos er-
rores agnoscere, velleq;, acceptis Tridenti-
næ synodi decretis, redire ad cor, & in poste-
rum præstare obedientiam Ecclesiæ Roma-
næ: aut vi quadam coactos condemnatori-
am sententiam Tridenti audire ac recipere
compelli debere. An alterutru horum potes
futurum dicere? FEL. Non possum. SYL.
Quomodo igitur Lutheranis promittis in
Tridentino Concilio, tam vitæ, q; doctrinæ
emenda-

emendationem: FEL. Ego verò quidem
hoc modo: si tamen mauolent cum ratione
sana consultare, q̄ cum deprauatis exulcerat-
isq; affectibus inire consilium, neq; hoc da-
re priuatis personis, quod publicæ & Chri-
stianæ veritati debetur. Tanta enim eviden-
tia in catholica fide veritatis est, vt non du-
bitem, si priuatæ affectiones desint, & adsit
candor in iudicando, quin vltro sint omnes
cordati homines accessuri. S Y L. Quam-
vis adhuc, ô Felix, longè abes à scopo: pro-
pius tamen nunc, q̄ anteà, collimare visus es.
Rectè hoc tu quidem, & vt Lycurgus Ora-
tor non inscitè, animi affectiones recto iudi-
cio plerumq; nebulas solere effundere, ne lu-
cem queant cernere veritatis. Esto sane (id
nunc non disputabo) sit tanta fidei vestre ca-
tholice evidentia, quantam esse dicis: sed hoc
non consideras, quod vel in primis conside-
rete oportebat, ex vestri Cleri prauis mo-
ribus adeò prauas animi affectiones insediisse

P iii cordibus

cordibus populorum, vt propter has tām
crassa caligo rationis iudicio obducta, non
finat laicos istam catholicæ fidei vestræ eui-
dentiam intueri, non dicam perspicere.

FELIX. Ità profectò est, vt dicis Syl-
uester, sed quo enemate istas animi af-
fectiones ex cordibus hominum elui, &
quo deinceps collyrio abstergi caliginem,
quæ est ex illis affectibus obfusa, vt tandem
posset recte in catholica fide veritatis eui-
dentiam populus cernere, censes debere?

SYLVE. Arduum istud planè mi Felix,
nec huius loci, nec temporis, nec etiam iu-
dicij mei est : cum non tām, quid possit,
q̄ quid fieri non possit, demonstrare, uiri pe-
riti sit. Veruntamen sic opinor, quòd præ-
postérè res suscepta sit tractari in Concilio
Tridentino. Non inficiar : solitum est, pri-
us doctrinam, quæ morum regula est, cor-
rigi, q̄ emendari mores : sed hoc tamen re-
cte

cte habuit semper, cum prauæ illæ affectio-
nes ex pessimis Cleri moribus natæ, non
tantam circumfudissent iudicio populi ca-
liginem. Hanc igitur nisi abstuleris, veri-
tatis euidentiam in fide catholica vestra,
populus nunquàm videre poterit : nec il-
lam caliginem vnquàm tolles, nisi prius
huius tanti mali causam, id est, prauos mo-
res Cleri, radicitus euulseris : neq; hosce
euelles vnquàm, nisi aut feuera Concilij
generalis disciplina Clerum constrinxer-
is, atq; redegeris ad primæux Ecclesiæ
paupertatem : vt, cum religio pepererit
diuitias, & hæc filia perdididerit matrem,
iam vicissim paupertas resuscitet religio-
nem, & hæc denuò necessarias opes Ec-
clesiæ. FEL. Ità prorsus fore videtur. Non
enim tu hæc Syluester primus, sed multi
alij antè te futurū prædixerunt. Quid autem
intereà fiet de puritate doctrine, catholicæq;
fidei nostræ? Quale erit Concilium, quod de
moribus

moribus Cleri emendandis ait tantūmodo,
de hæresibus extirpandis ne verbū quidem.
SYL. Tali Concilio nunc opus est : de ex-
tirpandis hæresibus deinceps agendum. Hoc
tibi velim, ipsa certitudine certius persuade-
as, populum nunq ab hæresi retractum iri,
nisi prius hoc in vniuerso Clero palām &
constantē appareat, quod Christus iniun-
xit suis discipulis, eum inquit, Luceat lux
vestra coram hominibus, vt bona opera ve-
stra videant, & glorificēt cœlestem patrem.
Bona autem opera Cleri sunt, primū, vt sa-
nam doctrinā Euangeliū ab Apostolis pro-
fessam, in vniuersoq; orbe Christiano di-
spersam atq; propagatam, doceāt populum:
deinde, si hoc opere faciūt, quod ore docent,
hoc est, vt castè, vt sobriè, vt piè, honeste q;
viant in hoc sæculo, nō minus morum ho-
nestate illustres, q; doctrina admirabiles. Si
nunc aliquid habendum Concilium est, tale
omnino est habendum, quod quia priuatis
Cleri

Cleri morbis medeatur, Clericale vocari possit. Deinde aliud quoddam celebrandum esset Concilium, quasi populare, quippe ut ab heresibus tandem secessisq; populus repurgaretur. Sed hoc posterius, si fructuosum mallemus, q̄ tumultuosum fieri, illud prius Concilium non solum ritè præcedere debebat, sed etiā efficaciter duci in executionē: vt, si riulos viuentis aquæ in communem multitudinē populi ducere vellemus, initio populo certū sit de purgato fonte, vnde riulos duci oportet. Etenim non est, o Felix, sibi ut Romani proceres ducāt in mentem, populum ullos disciplinæ Canones accepturum à Romano Clero, nisi ipso meridiano Sole cernat̄ clarius, vitam Cleri integrè solideq; repurgatā esse. Sic enim populus cogitat, ut cecinit Poëta quidam,

Vas nisi syncerum est, quidcunq; infundis acescit.
Sic enim populus Spartanus respondit senatu suo, cū Demosthenes, nō ille Orator, sed

Q alias

alius ciuis, homo nimirum impurus, dixi-
set, se habere quoddam salutare consilium
reipub. quod si vellent audire, se cōmunicā-
turum esse. At responsum est, nō solitū esse,
vt ex impuro vase liquor syncerus proma-
tur. Tantum valet synceritatis opinio apud
rudem populum. Quamobrem, si Ecclesiæ
proceribus cordi est, velle hæreses tollere,
velle sarcire concordiā diuisi orbis Christia-
ni, nō poterunt aliundē ordiri auspicatius, q
à capite & Lare domestico. Hoc enim cum
re, non verbo factum intellexerit populus,
adduci poterūt, credo, vt vnam aurem præ-
beat populus catholicis Ecclesiasticis, alte-
ram Lutheranis, quoad tandem, depositis
priuatis affectibus, audiat vtramq; partem
tantisper, donec queat istam, quam dixisti,
catholicæ fidei evidentiam apertis oculis
collustrare. FELIX. Non equidem Syl-
uester possum improbare istud consilium
tuum, quod nō tam ex heretico, q catholico
pectore

pectore profectum iudico. Si ita de cæteris
catholicæ fidei articulis sentires, vt istud sen-
tis nō male, næ ego te verè Christianū arbi-
trarer. SY. Non omnes sunt, mi Felix, Bac-
chi, qui thyrsum gerunt: fieri potest, vt quis
corpoere sit inter sectarios, inter Christianos
animo: & vicissim corpore inter Christia-
nos, animo aut̄ inter sectarios. FE. Dei hoc
est, nō hominis iudicium Syluester, quid in
corde quisq; sentiat suo: Christiani tamē aper-
tam desyderant catholicæ fidei cōfessionem.
Verum hac de re nihil ad præsentē causam.
Istud velim mihi explices Syluester, in alte-
ro, quod populare appellas, Cōcilio, qua ra-
tione possit populus adduci, e quibus auribus vt
audiat vtrāq; partē. S. Longius istius oratio
nisi tuę patet epilogus, q̄ exordiū. Cur aut̄ nō
potius id queris, quod minus quidem speras,
metuis aut̄ magis? FEL. Quidnam istud est?
SY. Rogas: cogitas nè, quid futurū sit, si nul-
lum succedat Conciliū? FE. Cogito sanè, &

Q ij cogito

cogito serio quidem: at nihil tamē assequor
cogitando, q̄ præsens exitium. SYL. Vtri-
us partis? vtriusq; ne, an alterius tantum?
FEL. Vtriusq; omnino, sed nostræ prius,
postea vestræ. SYL. Vndè coniçis? FEL.
Ex diuersis quidem causis, sed ex eodē even-
tu. Ut reliquas autē taceam, vnā explicabo.
Noſti enim prius defectionem ab Ecclesia
catholica fieri oportere, vt D. Paulus predi-
xit, q̄ reuelabitur filius perditionis. Defectio
autem illa triplex erit, quemadmodū S. Pa-
tres interpretati sunt: prima, cum regnai,
& reges ab imperio Romano discesserint:
secunda, cum ijdem reges ac regna authori-
tatem recusauerint Apostolicæ sedis: tertia
cum populus et Principes, magnaq; ex par-
te Clerus, ut Cardinales, ut Episcopi atq; alij
Prælati doctrinam Catholicæ fidei reie-
rint, nouis addicti opinionibus. SYL. Si
ista triplex, quam tu recenses, defectio An-
tichristū præcedere debebit, quin iam hunc
aduentare

aduentare necesse est, cum illa iam præcesserit, vel saltem etiā nunc cursum virgeat suum. At verò mihi Felix, quis tibi istud, absq; teste, afferenti crediderit? F E L. Non postulo: multos possem producere, si tempus permitteret. D. Paulus prædixit, discelsicem ante fieri oportere, q̄ reueletur filius perditionis, hoc est, Antichristus. Eam sancte defectionem præuiderunt sancti viri triplicem esse oportere. At testem quæris? Do primò D. Ambrosium Ansbertum, qui vixit, Imperatore Arnaldo: deindè do Engelbertum Admontensem Abbatem sub Imperatore Rodolpho Illustrem scriptorem. Plures proferre non est necessarium, quando ipse nosti consimiles. S Y L. Terres tu me, o Felix, haud mediocreiter: atq; si debeo apertè, quid sentiam, proloqui: vereor ne sint, quæ asseris, Sybillinis folijs veriora: videorq; mihi quasi iā appropinquantis Antichristi videre exercitū, audire strepitum,

Q iii atq;

atq; tumultū, sentire etiam aliquo modo im-
minentis supplieij horrorē. FEL. Querelis
impendingi malo nō medebimur. Deū ore-
mus, miSyluester, nefugano strafiat in hye-
me. SY. Rectè mones. FE. Ecce puer adest:
cœnā nunciat esse paratam. Placuit aut̄ mihi
hoc nostrū colloquiū Syluester, vel hoc no-
mine, quòd tametsi grauia in vtraq; parte
atq; criminosa vitia grāffentur: hoc tamē ar-
bitror te sentire meū, non ex moribus per-
sonarum veritatē doctrinæ, sed ex veritate
doctrinæ mores personarū iudicari debere.
SY. Assentior tibi. F E. Sed heus tu Sylue-
ster. Quid si hoc colloquiū nostrū aliquis au-
dierit ex occulto auscultans? SY. Nihil ar-
bitror referre: quid enim est disputatū à no-
bis, quod nō re ipsa verū sit, et vulgò non in-
cognitū? FE. At enim nosti illud vetus, Ve-
ritas odiū parit. SY. Parit quidē, sed non nisi
in maleuolis. In generede vitijs collocuti su-
mus, & si quid nominatim perstrinximus,

ipsa

ipsaluce meridiana cūctis patet manifestius.
Feci ego sēpe Prēlatorū, Sacerdotumq; ve-
strorum mentionē, taxans quēdam eorū vi-
cia: quōd certē à me factū eo consilio non est,
vt omnes Prælatos vel Canonicos vel Sacer-
dotes æqualiter existimē esse tales, quando
bonoshonestosq; norim quā plurimos. Qua
propter à me quidquid vestro Clero obie-
ctum est, id illi sibi dictū putent, qui talia pa-
lām patrare minimē verentur. FE. Eadē le-
ge & meā cupio in tua parte libertatē excu-
fari: quandoquidē mihi cū vicijs & cum hæ-
rese vestrorum hominū, non cum personis
ipſis hæc disputatio suscepta & habita est. En-
iterum puer clamitans cœnam corrumpi.
SYL. Quin recta ad cœnam igitur. 1562

E R R A T A.

A. 2. fac. 1. leg. utriusq;. B. 2. fac. 2. leg. Cepit Christus docere et facere, inquit,
si. C. 2. fac. 2. leg. qui quia uirtute. F. 1. fac. 1. leg. irregulariter uiuere. H. 4.
fac. 2. leg. solo succino. l. 2. fac. 2. leg. Canonicales opes. K. 4. fa. 1. leg. Quod q̄
multis in locis factum sit. N. 4. fac. 1. leg. Iudaicam politiam uoluit. Ibidem ana-
tiquari Iudaicam.

1819697

064-975083913